COLLEGIUM SOC. JESU ANTVERPIÆ

PRÆMIUM

Hearts 12/

Jewels

12/-

EPITOME

HISTORIÆ

Societatis Jesu.

I.

Propter tuam in patres Societatis Jesu benevolentiam.

J. [illegible]

31. Mai 1871

EPITOME HISTORIÆ SOCIETATIS JESU,

AUCTORE

JOSEPHO JUVENCIO,

EJUSDEM SOCIETATIS SACERDOTE.

Tomus Primus

Ab anno Christi MDXL ad annum MDLVII.

GANDAVI,
E prelo Vid. J. Poelman-De Pape, typog. Episcopatus.
1853.

EDITOR AD LECTOREM.

Opusculum P. Josephi *Juvencii*, quod in tabulario Professæ Societatis Jesu Romæ delitescebat atque nunc in publicam lucem prodit, nemo non gratissimis manibus suscipiet, quem vel Societatis historia vel linguæ latinæ nativus lepor delectet.

Habes enim hic ad compendium collata quæ *Orlandinus* in Historiæ Societatis Jesu parte prima seu *Ignatio*, quæ *Sacchinus* in *secunda*, *tertia* et *quarta*, quibus *Lainius*, *Borgia* et *Everardus* nomina sua dedere; et quæ demum in priori tomo Claudii seu partis *quintæ* iterum *Sacchinus*, cum *Possino* suppetias ferente, et in tomo posteriori ipse *Juvencius* posterorum memoriæ tradiderunt; atque ea arte hoc summarium confectum est, ut facile prodat auctorem cum optimis tum antiquis tum recentibus scriptoribus de dictione pura, eleganti et nervosa certare solitum.

Neque pluribus præfandum videtur, quoniam *Juvencius* ipsemet rationem utilitatemque libri in primo limine declarat. Quocirca satis fuerit paucis lineamentis auctoris vitam adumbrasse.

P. Juvencius, gallice dictus *Jouvancy*, *de Jouvancy*, seu minus recte *Jouvency*, natus est Parisiis, XVIII Calendas Octobris anno MDCXLIII, patre (ut quidam volunt) medico, et Josephi nomine in baptismate honestatus. Societatis Jesu albo inscriptus est Calendis Septembris anno MDCLIX. Docuit primum humaniores litteras Cadomi; post Flexiæ, ubi et solemnem quatuor votorum professionem IV Nonas Febr. anno MDCLXXVII emisit; et demum viginti annos Parisiis, perenni præstantissimi magistri fama; ipse agens quod dein monebat alios : *Cernat* (*magister*) *tanquam sub persona latentem in exiguis corpusculis divinæ speciem originis, lineamenta cœlestis cognationis, sanguinem Christi; in eisdem pretium crucis, Jus regni, hæreditatem æternitatis contempletur : tum vero quam non modo libenter; sed etiam ambitiose docendi munus exercebit!*

Interea quod ei liberum erat a Scholarum labore tempus, impendebat id omne conscribendis in discipulorum et magistrorum gratiam libris. Quibus curis debemus tot veterum poëtarum expurgatas ab obscœnitate editiones; complura opera quibus juventus ad uberiores ex studiis colligendos fructus adjuvaretur, et (quod præcipua laude dignum est) opusculum *de ratione discendi et docendi*, quod dein ex Decreto X, Congregationis XIV, omnibus Societatis Jesu Scholarum inferiorum magistris commendatum est.

Porro quod tot annos pia ambitione functus erat officium aliquando a Superioribus jussus est ponere, ut S. Theodori studitæ scripta, quorum editionem inchoaverat Sirmundus, latina faceret. Verum aliter visum est divino Numini. Quum enim illi novæ spartæ adornandæ suam jam daret operam,

Romam accitus est a Præposito Generali Thyrso Gonzalez anno MDCXCIX, historiam Societatis Jesu continuaturus. Exinde viginti fere annos Romæ degit, donec IV Calendas Junias anno MDCCXIX diem supremum obiit.

Hæc pauca de scriptore : Si ejus operum Catalogum desideres, hunc partim tibi dabit Lexicon historicum Fellerii, partim Biographia universalis, plenius vero Lexicon historicum Moreri, et quæ mox in lucem veniet nova Societatis Jesu Bibliotheca.

VALE.

JOANNES ROOTHAAN

PRÆPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS JESU.

Cum Epitome Historiæ Societatis Jesu, opus posthumum Patris Josephi Juvencii ejusdem Societatis Sacerdotis, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, et in lucem edi posse probaverint, potestatem facimus ut Typis mandetur, si iis, ad quos spectat, ita videbitur. Cujus rei gratia has litteras manu nostra subcriptas et sigillo nostro munitas dedimus.

Romæ die 27 Novemb. 1852.

Joan. Roothaan.

APPROBATIO

ILLMI AC REVMI DOMINI EPISCOPI GANDAVENSIS.

Hoc Epitome Historiæ Societatis Jesu imprimi potest.

Datum Gandavi in Belgio,

Die 16 Decembris 1852.

† **LUDOVICUS-JOSEPHUS**, Epus Gand.

Quæcumque narrantur in his annalibus de Virorum Illustrium quorumcunque virtutibus, aut miraculis, ac si quæ alia referuntur, quæ vim et conditionem naturæ ullo modo videantur excedere, ea Scriptor ita vult intelligi, ut a privata duntaxat auctoritate profecta, nec fidem humana majorem promerentia : quod Urbani VIII. decretis insistens profitetur, ut S. R. Ecclesiæ, cujus est de his rebus judicium ferre, suum præstet obsequium, ac reverentiam.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Multos invenire est, quibus non satis otii suppetit, ut evolvant sex aut septem Historiæ Societatis volumina, quot hactenus in lucem edita sunt. Nec pauci etiam reperiuntur, qui res nostras magnam partem lectas, auditasve, non tam explicari sibi minutatim, quam obiter indicari velint. Ea me causa impulit, ut quæ in editis voluminibus habentur copiose scripta, paucis complecterer, initio a fundata Societate, et per Sedem Apostolicam confirmata, ducto, qui est annus Christi MDXL usque ad annum MDCXL, quo primum ejus sæculum clauditur. Sentio, quam sit arduum, includere brevi tabella totum pene terrarum Orbem, quem Societas jam inde a primis cunabulis perlustravit, et in amplissima sic versari materia, ut neque multitudo rerum dicendarum brevitati, neque perspicuitati brevitas officiat. Hæc utraque cautio, quoad ejus fieri poterit, a nobis adhibebitur. Præfigimus operi toti Prooemium, quasi vestibulum ædificio : in eoque Societatis primordia, et res ante confirmationem ejus annumque MDXL gestas, quæ necessariam postea dicendis facem præferent, exponimus. Seriem annorum in exponendis rebus gestis servandum duximus, quo more annales nostri fuere conscripti : non ita religiose tamen huic ordini putavimus inhærendum, ut duos tresve annos, cum id materia postulabat, jungere fugeremus. Imo in recensendis collegiorum na- Operis consilium et forma.

talibus et incrementis; initia, progressusque, unum ferme in locum contulimus, ne crebrius intercisa narratio claudicaret. Quod si quis rescire cupiat, quid in quaque Provincia, regnove gestum proprie, ac seorsum ab aliis provinciis regnisve, fuerit, hoc in indice generali ad Epitomes calcem adjecto breviter enarratum reperiet. Exempli causa in vocabulo *Anglia* indicabitur ingressus Societatis in Angliam, origo Seminariorum Anglicorum, quinam e Nostris in Anglia cæsi, etc.

Porro Societatis Historia, quam contrahimus, sex partibus constat. Prima complectitur sexdecim annos a MDXL ad MDLVI sub S. Ignatio, Societatis Præposito Generali I. Secunda pars annos octo continet a MDLVII ad MDLXIV sub P. Jacobo Lainio, Societatis Præposito Generali II. Tertia numerat annos pariter octo, nempe a MDLXV ad MDLXXII sub S. Francisco Borgia, Societatis Præposito Generali III. Quarta totidem annos edisserit, nimirum a MDLXXIII ad MDLXXX sub P. Everardo Mercuriano, Præposito Generali IV. Quinta colligit triginta quinque annos a MDLXXXI ad MDCXV sub P. Claudio Aquaviva, Præposito Generali V. Sexta denique annis triginta continetur a MDCXVI ad MDCXLV sub P. Mutio Vitelleschо, Societatis Præposito Generali VI.

Sex istas partes in quatuor libros redigimus. Primus liber excurrit ab anno MDXL ad MDLVI. Secundus ad MDLVII a MDLXXX. Tertius a MDLXXXI ad MDCXV. * Quartus a MDCXVI ad MDCXL.

* Quartum librum qui sextam partem complectitur, non potuit exequi Juvencius.

EPITOME
HISTORIÆ SOCIETATIS JESU.

PROOEMIUM.

De Societatis conditore, primis ejus Sociis et rebus ante confirmatam a Sede Apostolica Societatam, gestis.

S. Ignatius conditor Societatis.

Magnæ molis opera magnos postulant opifices. Tabernaculum vetus ut conderetur, formari divinitus ipsi fabri debuerunt*. Ignatium, et conditam ab eo Societatem Deus objicere Luthero Calvinoque destinans, ut Pontificia testantur oracula *et novo per eum subsidio militantem Ecclesiam roborare,* Ducem religiosi agminis sua velut manu fingere laboravit, ut gloriam operis uni esse debitam cœlo terra cognosceret. Natus anno post Virginis partum millesimo quadringentesimo nonagessimo primo, in Cantabria, ut primum ætas belli patiens fuit, otium aulæ Hispanæ sprevit, ubi adoleverat inter nobiles Catholici Regis ephebos. Illustrem generoso militi campum obtulit Pampelo, a Gallis obsessa, anno MDXXI.

**Exod. c.35.*

Oratio in Missa S. Ignatii.

Vulneratus ad Pampelonem,

Addit se præsidiariis cohortibus, dux omnium et anima. Ruit per medios ignes, avidus laudis, periculi contemptor : cum tormenti muralis globo graviter percussus, crure diffracto sternitur. Abjici, ut alter Paulus, debuit, ut erigeretur; vulnerari, ut sanaretur. Diuturno maceratus morbo libros quæsivit fallendo tædio. Historias petebat, in quibus priscorum Heroum ficta, aut vera legeret facinora, pabulum ambitionis, exempla bellicæ gloriæ. Illas numinis manus provida subduxerat. Repertæ sunt forte domi vitæ Sanctorum, unum in volumen collectæ. Legit initio sane fastidiens. In iis tamen heroas agnoscit, et quidem veros, ac majores fictis. Miratur ingentes animos, nec mirari contentus, imitari gestit, seque Sanctorum duci Christo, si militem non dedignetur, offert. Orante Ignatio terra contremuit, et cubiculum subito fragore concussum est. An ille tremor Tartari fuit, hostem prospicientis? An Dei, militem sibi novum auctorantis? Interim dum valescit animus, corpus morbo victum fatiscit. Ægrum medici deponunt, et conclamant. Adfuit

sanatur a Divo Petro,

potentior e cœlo medicus, Apostolorum Princeps; et agminis, quod sibi suisque successoribus præcipue parabatur, ductorem divinitus designatum, sanat. Adfuit ipsa quoque Virginum Regina, puerum Jesum gremio complexa, et suo clienti contra *ignea nequissimi tela* clypeum castimoniæ cœlestis indulsit.

His auctus donis ac præsidiis Ignatius deserit paternos lares. Arma, quibus mundo meruerat, suspendit e tholo B. Virginis Monserratensis, et ante aram excubans nocte tota, Christo ejusque Matri novæ militiæ sacramentum dicit *. Vestes phalerasque vitæ veteris pauperi donat, ipse vili centone tectus, Minoressam vicinum oppidum petit et in nosocomium, inde in speluncam oppido proximam se abdit, ac duris pœnitentiæ laboribus detergere studet, quidquid maculæ vel ex aulæ fumo vel e bellico pulvere contraxerat. Mentem, terrenis cupiditatibus expeditam, statim perfudit cœleste lumen. Deus magistrum, a quo tam multi docerentur, cito et perfecte formavit. Itaque homo litterarum rudis admirabilem illum composuit librum Exercitiorum Spiritualium, ex quo tot pene sancti, quot lectores, prodierunt. Eadem divinitus infusa lux, Trinitatis adorandæ mysterium, et alia religionis arcana, tamquam remoto velo, patefecit. Jacuit aliquando ipsos octo dies a sensibus alienatus. Quid in hoc stupendo mentis excessu viderit, compertum non est, uti nec in aliis quamplurimis, qui creberrimi, dum vixit, fuere. Cœlestia id genus visa retulerat in libellum; sed hunc paulo ante obitum, ne veniret in hominum manus, combusserat. Fefellerunt ejus providentiam aliquot paginæ, ex quibus fieri conjectura de cæteris facile potuit, quæque merito dubium fecerunt, magisne miranda esset viri sancti hu-

et ad vitam perfectiorem se accingit.

* *Anno* 1522.

Librum Exercitiorum spiritualium componit.

militas ad oculos hominum famamque declinandum; an divinus ad eum majoribus in dies donis cumulandum, favor.

Suavissime in primis afficiebatur contemplanda Christi Domini dignitate, et incredibili erga genus humanum charitate. Utque erat militiæ assuetus, proponebat illum sibi tamquam Imperatorem, hostes divinæ gloriæ debellantem, ac mortales omnes ad sua signa invitantem. Hinc desiderium hausit sacri cujusdam exercitus conscribendi, cujus imperator duxque Jesus, cujus tessera **AD MAJOREM DEI GLORIAM,** cujus labor et meta salus mortalium esset. Hæc prima Societatis Jesu forma et imago in mente Ignatii fuit impressa.

Formam condendæ Societatis animo effingit.

Hanc ut perficeret, vitamque Christi et virtutes altius in animo sibi, ac pene in oculis, defigeret, Palæstinam adire statuit. Venetias ingressus, ut inde transmitteret Hierosolymam, pernoctabat in platea S. Marci, cum senator e prima nobilitate, Marcus Antonius Trivisanus, divina monitus voce, conquisitum domi suæ venerabundus excepit. Ignatius iter institutum persequens, et Hierosolymam delatus, ibi consistere meditabatur, ac tirocinium quoddam sacræ, quam animo informabat, militiæ ponere, Judæis ad fidem convertendis, adjuvandis Christianis; ac si qua fieri via posset, indigenis a Mahometana impietate revocandis. Sed cum in Palæstina commorandi tum

Venetias petit inde transmissurus in Palæstinam.

potestas daretur nulla, reversus est in Europam, ut in Asiam postea paratior, nec solus, rediret: simul ut operis ardui, pridem animo designati, fundamenta veluti poneret. Videbat omnino necessarium esse ad procurandam animorum salutem doctrinæ præsidium, sine quo cæca pietas obesse plus quam prodesse potest. Verum annos ipse tres ac triginta natus erat. Non deterruit ea res hominem tam suæ contemptorem gloriæ, quam divinæ sitientem, quominus Barcinone operam inter pueros magistro Grammatices daret. Cum autem ita insisteret studio litterarum, ut propagandæ pietatis curam non omitteret; multa indignissima pertulit ab improbis. Fustibus aliquando tam male acceptus fuit, ut in dubium vita venerit. Alias perditus nescio quis irrupit in ejus cubiculum, stricto cum pugione: sed minaci de cœlo voce perterrefactus, retulit pedem et mentem sceleratam, cum sica deposuit. Non leviora pertulit Compluti, quo post exactum Barcinone biennium se contulerat, altioribus jam disciplinis idoneus. Conveniebatur privatim a multis, consilii causa, et institutionis. Movit hominis novitas suspicionem: et erant ea tempora Lutheranæ pestis metu, ac novis opinionibus, infesta; conjicitur in custodiam; at comperta tandem integritate tum doctrinæ, tum vitæ, dimittitur. Pœnas obtrectator luit, cujus audita vox ea fuerat: *Male incendio peream, nisi iste* (Ignatium common-

Reversus e Palæstina operam dat grammaticæ inter pueros.

strabat) *meretur incendium*. Illa ipsa nocte cum ædibus deflagravit. Eadem incommoda perpessus Salmanticæ Dei famulus, et Evangelici oraculi veritatem experiri jam tum incipiens, * *Ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati:* Parisios migrare constituit, ubi plus otii et facultatis haberet ad studia litterarum, ignotus, et vernaculi sermonis ignarus; tum etiam ut ex Academia Parisiensi adjungeret sibi Socios, et adjutores condendæ Societatis. Lutetiam ingressus, ineunte anno MDXXVIII perpolivit, quæ in Hispania raptim, et quasi tumultuaria opera, didicerat. Ut vero esset spatii plus ad studia litterarum, imposuit modum officiis pietatis, quamquam ut ab iis omnino abstineret, imperare sibi non potuit. Argumento est admirabilis illa charitas, qua iter tridui pedes, et jejunus confecit, ut contubernalem, a quo per insignem perfidiam modica spoliatus pecunia fuerat, et in summas inopiæ angustias conjectus, ægrotantem Rothomagi, sublevaret. Item, qua se collo tenus demersit in rivulum, tempestate perfrigida, ut prætereuntem nefarium amatorem ab impura mulierculæ consuetudine absterreret. Interea, Deo litterariis favente laboribus, solemni laurea magisterii, post consuetas eruditionis periclitationes, ceterisque doctrinæ insignibus, condecoratus est.

* Actor. 9.

Socios ad fundandum

Erat inter auditores Theologiæ Petrus Faber, Allobrox, egregie pius ac doctus. Eum Ignatius

excoluit Spiritualibus Exercitiis, et Christi amore succensum, sodalem sibi primum adscivit. Plusculum negotii fuit in vincendo Francisco Xaverio. Natus ille * in familia Navarræ nobili, cum ad bonas artes ardentissimum studium, ingenii perspicaciam, et ceteras, quibus eruditi fiunt, summas dotes, sortitus esset, totum se litteris dediderat, tantosque brevi progressus habuerat in philosophia, ut eam publice doceret in uno e Parisinis Collegiis *. Ignatius præclaras adolescentis egregii dotes divinæ gloriæ amplificandæ deberi sentiens, eum removit a periculosa occultorum aliquot hæreticorum familiaritate, qui specioso eruditorum nomine irrepserant in Galliam, et Lutheranum virus incautis adolescentibus afflare conabantur. Illos audiebat identidem Xaverius, cum ab Ignatio monitus, periculum agnovit. Hoc ipse grato ac memori animo profitetur in sua quadam ad fratrem epistola. *Non solum*, inquit, *mihi per se, et per amicos, quamcumque potuit opem tulit, sed quod longe pluris facio, paratos mihi ab æqualibus meis laqueos detexit, qui eruditionis et urbanitatis fuco tecti, hæresim sinu conceptam impia dissimulatione occultabant. Quas pro tam singulari beneficio, ut alia deessent, habere gratias Ignatio, quas referre possum? Sic enim persuasum habeo, absque eo forte, quæ mea facilitas est, numquam futurum fuisse, ut blandum ejusmodi periculum aut*

Ordinem Parisiis adscivit.

* *Anno* 1506. *Die* 7 *April.*

* *Bellovacensi*

viderem aut fugerem. Non satis erat periculum erroris a Xaverio propulsasse : eripiendus illi erat amor sæculi. Rem tentavit Ignatius, ac Deo juvante, perfecit. Juvenem honorum, quos illi eruditio, ingenium, avita nobilitas ostentabat, cupiditate flagrantem, ad Divinæ cœlestisque gloriæ studium traduxit. Jacobus Laines, Seguntinus, Theologiæ cognitione ac dicendi facultate præstans, et Alphonsus Salmeron, Toletanus, Græcis, Latinis, Hebraicisque litteris eruditus; hic annos duodeviginti, ille vicenos admodum natus, Lutetiam venerant, tum litterarum causa, tum etiam Ignatii visendi studio, de cujus eximia virtute audierant, et quem morum magistrum cupiebant habere. Ambos, ut sibi divinitus missos complexus est, ac suis volentes addidit. Nicolaum Alphonsum, cognomento Bobadillam, quintum inter Socios numeravit. Sextus accessit Simon Rodericus de Azevedo, nobilis Lusitanus, egregia indole ac virtute juvenis. Ne statim Ignatio, quem dudum norat, se traderet, impediebatur voto quodam lustrandæ Palæstinæ, olim concepto. Quod ubi rescivit Ignatio pariter in votis esse, nihil moræ fuit, quin ad reliquos S. Patris sodales se aggregaret. Quamvis tot præstantium virorum numerus bene lectus, firmusque videretur; et singuli arctissimis, inter se, et cum duce suo et magistro, vinculis conjuncti essent; Ignatius tamen humanæ gnarus inconstantiæ, illos magis Deo, sibique

devincire statuit. Quare monitos, ut sæpe antea, quid cepisset olim consilii de Christo imitando, de navanda proximorum saluti opera, duxit in ædem Lutetiæ vicinam, Beatissimæ Virgini, ac Divo Dionysio dedicatam, in colle, cui Martyrum Monti fecere nomen indigenæ. Agebatur annus MDXXXIV, et festa lux Assumptæ in cœlum Deiparæ, eamque diem B. Pater elegerat, ut Societas Jesu in Mariæ veluti sinu nasceretur. Hoc in templo votum a singulis in hæc verba editum est : ut emensis Theologiæ spatiis, quæ nondum erant ab eorum nonnullis omnino decursa, in paupertate perpetua, et castitate servirent divinæ gloriæ, ac saluti animarum, ac nominatim ea mente Hierosolymam navigarent. Quod si pervenire illuc, anni circumacto spatio, non liceret, aut ibi consistere, tum Romam peterent, suamque operam Christi Vicario, sine temporum aut locorum exceptione, deferrent.

Prima Societatis incunabula in Monte Martyrum.

His inter ipsos ita constitutis, Ignatius excurrit in Hispaniam, tum valetudinis causa, medicis ita jubentibus; tum vero ut nonnulla Sociorum negotia domestica componeret, ne theologica studia cogerentur abrumpere, neve illos etiam amor patriæ, qui viris quoque optimis illudere solet, a suscepto perfectioris vitæ consilio avocaret. Ante discessum omnes hortatus ad constantiam pollicetur se Venetias petiturum, compositis ipsorum negotiis, et ibi profectionem Hierosolymi-

tanam paraturum : diem denique statuit, quo ipsum Venetias conveniant. Ignatii frater et nobiles consanguinei, cognito ejus in Hispaniam adventu, obviam effusi, domum illi suam singuli certatim obtulere : ipse in publicum pauperum hospitium divertit, utque daret specimen vitæ, quam deinceps professurus erat, cœpit plebem Christianæ doctrinæ rudimentis instituere, privatisque colloquiis omnes ad studium virtutis cohortari : festis vero diebus conciones habere tanta hominum frequentia, ut cum eos templa nulla caperent, in patentem campum prodire cogeretur. Addebant magnum ejus orationi pondus varia prodigia : quodque miraculis omnibus præstat, morum publica, et constans emendatio.

Tres alii Socii ad sex priores accedunt.

Relictos interea Lutetiæ sodales, piumque gregem auctum lætus audivit. Nascentem familiam, Parisiis discedens anno MDXXXV Petro Fabro, qui reliquis ætate prior, prudentia vero et probitate nulli eorum secundus, gubernandam commiserat. Illius exemplis, monitisque permoti, theologi tres ex eadem Academia Parisiensi, Claudius Jaius, Anneciensis; Joannes Codurius, Ebredunensis, ac Paschasius Broëtus, Ambianensis; ad sex alios accesserant, et iisdem votis in eodem Monte Martyrum Deo, sese, atque animarum saluti devoverant. Paschasium Broëtum fuisse Belgam Cameracensem scriptor e nostris Belga, levi ductus conjectura tradidit. Eum in Gallicæ

ditionis oppido, Bertrami curia dicto, diœcesis Ambianensis natum esse constat ex authenticis, quæ servantur in romano tabulario, monumentis. Omnes octavo calendas Februarii anno MDXXXVI in Italiam profecti sunt. Ignatius jam Venetias pervenerat, ubi statim gravis in illum est exorta tempestas, tamquam in pestilentem hæreticum ex Hispania Galliaque profugum. Ad Apostolicum Nuntium, Venetiis degentem, ultro causam detulit Ignatius, et judicium petiit. Datum est; ac post accuratam disceptationem, lata secundum illum, pro æquitate ac veritate, sententia. Venetias tandem attigerunt primi novem ejus sodales, ad tertium Idus Januarii anni MDXXXVII. Quos B. Pater suavissime complexus, in civitatis nosocomia statim sparsit. Documentum dederunt e corporum cura, quid essent aliquando in curandis animabus facturi. Et Xaverius reportandis olim victoriis prælusit, victo fortiter sensu naturæ, ab ægroti putridi et purulenti contactu abhorrentis, dum manantem ex ulcere fetido saniem bibit.

Ignatio Romam petenti Christus apparet.

Tres tantum ex illis initiati Sacerdotio erant, Faber, Paschasius, et Jaius. Faciendum censuit Ignatius, ut, dum ipse comparat quæcumque ad Hierosolymitanum iter opus erant, pergerent omnes Romam, et Summum Pontificem de suscepto Evangelicæ in Palæstinam expeditionis consilio, facerent certiorem; simulque peterent, ut qui nondum erant Sacerdotes, iis liceret sacros Or-

dines a quolibet Antistite suscipere. Romam ingressos Paulus III. benigne accepit, ac disputare coram se jussit : mox, eruditionem modestia conjunctam laudans, quæcumque postulabant prolixe annuit. Quare Venetias reversi, Sacerdotes ibi creati sunt. Opportunitatem interim expectabant in Orientem navigandi. Nulla se obtulit : eoque anno, propter belli Turcici metum, navis e portu Veneto in Palæstinam nulla solvit. Sic elapso demum anno MDXXXVII soluti sunt ea voti sui parte, quæ profectionem Hierosolymitanam spectabat. Restabat altera pars, ut sese offerrent Pontifici Maximo, ad salutem animarum, quocumque videretur loco, procurandam. Placuit hanc Pontificis adeundi provinciam demandare Ignatio, duobusque primariis Patribus Fabro, et Lainio, ceteris apud Venetos remanentibus. Ignatius igitur Romam pergens, et Socios paulum antecedens sacellum quoddam, non longe ab Urbe, orandi causa, solus ingressus est. Tunc, abstracto a sensibus animo, in alta contemplatione defixus, Deum Patrem aspexit, qui Filio crucem bajulanti, ipsum Sociosque commendabat. Quos Jesus cum in fidem ac patrocinium libentissime recepisset, ad Ignatium sereno vultu conversus, vocem hanc misit : *Ego vobis Romæ propitius ero.* Hac voce : hoc tam insigni tutelæ cœlestis pignore, majorem in modum erectus B. Pater totam rem Sociis exposuit; quam in peculiari

Nomen Societ. Jesu unde ortum.

quodam scripto referens, ait tunc se ab Æterno Patre appositum Divino Filio, et cum eodem arctissime conjunctum fuisse, ut Hispana scripti verba sonant. * Illud ipsum præsertim in causa fuit, cur Ignatius non suum Societati a se conditæ, sed Jesu nomen indiderit, quo illam et in tutela Christi esse, et ad sanctissimum ejus nomen tota terrarum orbe propagandum, præcipue institutam significaret. Itaque percontanti populo cujus ordinis et familiæ essent, respondebant Patres, se Societatem Jesu esse.

** Quando el Padre Eterno me pusò con su Hijo.*

Romam cum Fabro et Lainio intravit Ignatius Octobri mense anni MDXXXVII et ad Pontificem admissus, illi suam et Sociorum operam obtulit, ad amplificandam ac tuendam ubique gentium et locorum, religionem. Accidit gratissima Summo Pastori hæc novi agminis ad veteres Ecclesiæ copias accessio : et, donec aliqua se offerret occasio recentes istos milites in aciem producendi, jussit Fabrum, et Lainium, in Romano, quod vocant, Sapientiæ gymnasio docere. Quo munere dum alter in sacris litteris explanandis, alter in tradenda scholastica theologia, pari eruditionis ac pietatis laude funguntur; Ignatius sapientiæ cœlestis lucem, et ignem divinæ charitatis, tradendis potissimum Spiritualibus Exercitiis, tota spargebat Urbe; ac suorum numerum magis in dies augebat. Ex iis unum cœlo receptum, et quasi pignus nascentis familiæ præmissum,

Se Societatemque suam offert Summo Pontifici.

lætus cognovit. Hosium, Baccalaureum Venetiis in Sociorum numerum anno MDXXXVI adscripserat, et Patavii munia Societatis obire jusserat. Qua in urbe cum utilissimas ad populum haberet conciones, aliquando tanta dixit contentione, ut contracto morbo, paulo post e vita cesserit. Ejus animam B. Pater in cœlum ferri vidit, fulgente beatorum spirituum choro cinctam. In Hosii demortui locum tam multi divinitus vocati sunt ad novam Societatem, ut laxiorem inire domum coactus fuerit Ignatius; deque constituenda quamprimum religiosi Ordinis sui forma, et condendis ejus legibus cogitavit. Igitur septem primos sodales suos, qui, dum Romam ipse pergeret, substiterant in variis Italiæ civitatibus, ad sese * in

* *Anno* 1538. Urbem evocat. Et, *Palæstinam,* inquit, *occlusit nobis Deus, ut Orbem aperiret. Operi tanto non sufficiebat paucitas nostra, crevimus, jamque propemodum justi agminis tenemus numerum. Sed absque ordine numerus turba est, non exercitus : neque unum in corpus membra coalescunt, nisi certo inter se devincta nexu. Leges nobis condendæ sunt, quæ familiam, Deo vocante congregatam, contineant; quæ corpori, quod molimur, non incolumitatem modo præstent, sed perennitatem. Date mecum operam, ut Divinam cognoscere voluntatem in re tanti momenti possimus.* Dum in eam privatim curam incumbunt Patres, et precibus, sacrificiis, attenta

meditatione, optimam Religionis instituendæ formam exquirunt; præcipuas interim Urbis regiones, ac templa inter se diviserunt, et frequenti prædicatione divini verbi, variisque operibus ad divinam gloriam susceptis, pietatem publicam vehementer inflammarunt.

Tempestas in Ignatium ejusque Socios excitata Romæ.

Invidit Satanas initiis felicibus, et occasionem nactus absentis ea tempestate Pontificis, qui Nicæam, ad componendas Caroli Cæsaris, ac Francisci Galliæ regis, controversias, processerat, occultum Lutheranum nec obscurum in Urbe concionatorem, in Patres armat. Is cum perniciosa dogmata spargeret e superiore loco, primum ab illis privatim, ut Christiana suadet caritas, fuerat monitus. Sprevit bene monentes, et apertius etiam exitialem doctrinam promulgavit. Refutatus palam a veritatis defensoribus, excanduit, et eos vicissim tetris criminibus apud Urbis præfectum accusavit. Testes adornantur, calumnia tam speciosis pingitur coloribus, ut Ignatius ejusque Socii, tamquam manifestorum scelerum, hæresisque convicti, ad pœnam sermone vulgi vocarentur. At ille, nequaquam adversariorum audacia territus, eorum antesignanum, ipsiusmet litteris prolatis, calumniæ manifestæ coarguit; irrogatum tamen sycophantæ supplicium ut exilio mutaretur, impetravit. Reliquos accusatores, judicium et lucem fugere diu frustra conatos, adegit ad recantanda mendacia : denique testem veritatis,

sententiam, jubente ipso Pontifice, obtinuit publico monumento consignatam. Sapienter existimans *nobis, ut recte Augustinus docet, necessariam esse vitam nostram; aliis famam nostram**. Ac singulari prorsus divinæ Providentiæ beneficio contigit, ut qui pridem in Gallia, Italia, et Hispania, Ignatii judices extiterant, ubi ejus doctrinam et mores improbitas, aut invidia, vexaverat, sub ipsum ferendæ sententiæ tempus, Romam alius alia de causa convenerint, et luculentum de viri probitate omnes testimonium dixerint. At litteræ civitatum, apud quas in Italia ejus Socii aliquamdiu versati erant, illos non modo liberarunt omni culpæ suspicione, verum etiam laudibus amplissimis ornaverunt. Nec nihil vindicandæ ipsorum innocentiæ suffragatus est luctuosus calumniatorum exitus. Concionator Lutheranus Roma Genevam profugit, ubi hæresim publice professus, cum librum pestilentem adversus Romanam scripsisset Ecclesiam, incidit in Sacrorum Quæsitorum manus, et igni scelera expiavit: alii, hæreseos nomine accusati, perpetuo carcere, alii flammis, damnati sunt.

* *Lib. De bono viduitatis.*

Hac defuncti procella Patres, impensius ad publica commoda suas omnes curas contulerunt. Occasionem obtulit annonæ caritas, et asperitas perfrigidæ tempestatis, qua duplici calamitate Roma per annum MDXXXVIII laboravit. Passim jacebant in publico pauperes, frigore, fameque

Patrum charitas.

confecti. Ignatius aluit domi ad quadringentos, et civibus exemplum quod imitarentur, præbuit, donec mitigaretur veris adventu hyems, et gravitas annonæ levaretur. Magnam populi benevolentiam ea charitas Patribus conciliavit: et Ignatius, quem Roma omnis parentem vocitabat, utendum tempore existimans, brevem Instituti formam, de sua et sociorum sententia conscriptam, Pontifici obtulit. Quam ille ubi perlegit, exclamasse fertur: *Spiritus Dei est hic.* Rogatus, ut quod viva voce approbaverat, publico testari et confirmare monumento vellet, quantumvis Ignatium voti compotem facere percuperet, nequaquam tamen festinandum in re tam gravi arbitratus, totum negotium delegavit tribus viris e sacro Cardinalium Collegio delectis. Horum unus Bartholomæus Guidiccionius, divini humanique juris apprime peritus, a novis Religionibus instituendis adeo abhorrebat, ut priscas omnes ad quatuor redigendas censeret. Ejus auctoritas duos alios Cardinales in eamdem facile sententiam traxit. Nec dubium, quin ipsum Paulum III permovisset, nisi Ignatius intentiore cura confugisset ad Deum. Cujus potente nutu mutatus subito Guidiccionius, et nullam repentinæ atque insolitæ mutationis causam videns, Deum illius auctorem unum agnovit. Itaque compendiariam Instituti formulam, toto servatam anno, et neglectam, examinat diligenter, laudat, et *quamvis,* inquit, *ut semper antea, ita nunc quoque sen-*

Instituti forma Pontifici oblata.

tiam abstinendum novis Religionibus, facere tamen non possum, quin hanc approbem, imo necessariam arbitrer, ad rei Christianæ laborantis subsidium, ac præcipue ad profligandas hæreses Europam devastantes. Sane miserabilis ea tempestate facies Christiani Orbis erat: Germaniam scindebant in varias sectas Lutherani, et Anabaptistæ; Anglia in Henrici VIII verba jurabat, a Romano Pontifice divulsa; Helvetios, Rhetos, Alpinas valles, Zuinglius, et OEcolampadius infecerant; Galliam multis locis Genevense virus pervaserat; Italiam ipsam afflaverat infanda lues. Intellexit hinc quidem sapientissimus Pontifex, Ecclesiam, tot ab hostibus oppugnatam, extraordinario quopiam auxilio indigere; inde vero Ignatii discipulos audivit, ubicumque degerent, Fidei veræ, virtutisque ardorem excitare. Celebrabatur maxime Paschasii Broëti, et Simonis Rodericii, quos miserat Senas, indefessus labor ad pietatem in populo, sanctimoniam in clero, disciplinam religiosam in cœnobiis, erigendam. Pari animarum fructu Petrus Faber, et Jacobus Lainius Parmam, cum legato Pontificio, non ita pridem profecti, usum frequentiorem sacramentorum, et alia Christianæ virtutis officia restituisse narrabantur; Bobadilla internecinas, quæ insulam Ænariam lacerabant, dissensiones pacavisse. Claudius Jaius Balneoregii, et Brixiæ, Joannes Codurius Patavii, alii aliis in urbibus, non dissimili successu, ad con-

firmandam augendamque morum integritatem dicebantur incumbere. Tot rerum, tanta utilitate religionis, tanta celebritate, gestarum, fama Pontificem denique impulit, ut Institutum Ignatii, sub nomine Societatis Jesu, confirmaret, nihil in eo nisi pium sanctumque esse disertis verbis pronuntians. Exstat Apostolica Constitutio, ab his ducta verbis, *Regimini militantis Ecclesiæ,* data quinto calendas Octobris anni MDXL. A Pontifice confirmatur Societas Jesu.

In hoc diplomate Pontificio describitur Instituti nostri forma, quam deinde Julius III nova Constitutione confirmans, fusius prosecutus est. Peculiari Constitutionum suarum libro, totam Sanctus Ignatius explicat formam, et quasi structuram universæ Societatis. Eam, quam liber ille decem constans partibus exponit, in pauca verba contraham.

Initium ducit B. Pater a fine Societatis, quam non solum vult *Saluti et perfectioni propriarum animarum cum Divina gratia vacare; sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere* *. Deinde opportuna describit ad finem hunc obtinendum præsidia. Illorum altera conducunt propriæ saluti consequendæ, altera serviunt saluti et perfectioni alienæ. In his præcipue numerat puerorum eruditionem, eamque obedientiæ voto, quod Professi nuncupant, addidit, instar appendicis. Ut autem ad condiscendam virtutem juventus alacrior frequentiorque concur- Institutum quale sit.

* *Summarii Const. reg.* 2.

reret, invitandam putavit illecebrâ litterarum, præsertim cum cerneret in eo elaborare novitatis patronos, ut errorem auribus adolescentum animisque, aureo scientiæ poculo infusum, propinarent. In eo vero profanos illos impiosque doctores vicit, quod gratis docere bonas artes a Societatis Magistris voluit, nulla, præter virtutem et profectum discipulorum, mercede quæsita. Rursus, cum videret hæreticis æque ac flagitiosis odio et contemptui esse vestem religiosam, cuperetque Societatis labores nulli addictos loco, vel nationi, sed toti terrarum orbi communes, ac fructuosos esse; nullum genus certum constansque vestis, aut victus, aut aliarum occupationum; ac ne chorum quidem in templo, Suis præscripsit: ut expediti et accincti semper essent, quocumque ipsos animarum salus, religionis causa, et Pontificis nutus, vocarent. Id modo, quod spectat vestem, admonet, ut honesta sit qualis decet Clericos, quorum in numero Societas censetur, ac simul a paupertate religiosa non abhorreat. Corporis afflictationes, quamvis in Societate nec molles nec paucæ vulgo sint, nullas tamen certa lege aut numero præscripsit : modum illarum et arbitrium penes Superiores esse voluit, qui, spectatis subditorum viribus, et occupationibus, nec nihil imponerent, ne langueret sine stimulo pœnitentiæ deses animus; nec nimium, ne corpori vires necessariæ detraherentur.

Societatis membra.

Postquam universum Societatis corpus ita conformavit, ad ejus membra delabitur. Ac primo docet quinam in Societatem sint admittendi. Quibus esse dotibus præditos oporteat. Delectos singulari cura, et admissos ad tirocinium, variis periclitationibus, et quibusdam Apostolicæ vitæ rudimentis probat. Emissos Domo Probationis, editisque rite votis, Societati arctius conjunctos excipiunt Collegia, et studia litterarum, quibus destituta pietas, ad Evangelicas functiones debilis ac prope manca est. Tunc Scholastici approbati nuncupantur. Proprias illis leges Sanctus Fundator mira sedulitate conscripsit, utque in studia diligentius incumbant, liberos esse jubet aliis occupationibus, ac ne sacris quidem Ordinibus, nisi post absoluta studia, initiari. Easdem ob causas Collegia perpetuis instruenda vectigalibus, et fundanda judicavit. Sed, ne vicissim escâ scientiæ obtundatur gustus religiosæ perfectionis, illum acuere ac fovere studet variis artibus, ac præsertim Renovatione votorum, sexto quoque mense obeunda. Verum, quia fieri vix potest, quin studendi contentione, et siccitate quadam litterarum etiam sacrarum, tener ille quasi succus interioris pietatis, quo devotæ Deo mentes irrigantur ac virent, paulum exarescat; novam quamdam excogitavit rationem sarciendi hujus damni. Annum tirocinii tertium instituit, quem perfuncti studiis Nostri sic transigerent, ut a litteris omnino feriati,

spiritualis ac religiosæ vitæ officiis, quæ tironibus familiaria, rursum ac penitus vacarent.

His artibus formare homines Evangelicis idoneos ministeriis B. Pater studuit. Nihilominus cum accidere cerneret in gratiæ non minus, quam in naturæ fetibus, ut non omnes summum perfectionis gradum assequantur; cumque intelligeret navos atque industrios homines, quamvis mediocribus a natura aut virtute instructos præsidiis, reperiri; duos quosdam ordines, sive gradus, in Societate constituit: unum Professorum, alterum Coadjutorum, quos Professorum quasi adjutores esse voluit, et quidem duplicis generis, alteros spirituales, qui sacerdotio initiati; alteros temporales, qui ministeriis domesticis occupati. Porro tum Professi, tum Coadjutores tria vota religiosis viris communia, nuncupant, sed Coadjutores simplicia, Professi solemnia. Iidem Professi, paucis exceptis, ad tria vota solemnia, quartum addunt, pariter solemne, quo vovent se profecturos quocumque gentium videbitur Summo Pontifici ad propagandam inter fideles aut infideles religionem. Ad alterum ex illis gradibus, nempe Coadjutorum aut Professorum, præparantur quicumque, peracto tirocinio, Societati navant operam, donec aliquot annis probati spectatique, assignatum sibi a Præposito Generali, alterutrum e duobus illis gradum, obtineant. Interim vere ac proprie Religiosi censentur, ut est a Summis Pontificibus definitum.

Varii gradus.

Itaque tres hominum in Societate quasi classes distinguere licet : primam Professorum; alteram Coadjutorum; tertiam reliquorum, qui gradum alterutrum nondum sunt adepti.

Hæ leges ad membra Societatis pertinent. Præposito Generali, qui totius Ordinis caput, summam ac perpetuam, dum vita suppetet, auctoritatem tribuit : summam, ut integra Societatis gubernatio penes unum sit, ab eoque Provinciarum Præfecti, Domorum Præsides, et Collegiorum Rectores, nominentur : perpetuam, quia vix est, ut potestas angusto annorum spatio circumscripta, quidpiam majoris molis vel audeat suscipere, vel perficere valeat. Huc adde quod muneris perpetuitas venerationem subditorum et obsequia firmat. Eumdem Romæ sedere placuit, quo propius Pontificios nutus exciperet; utque in omnes Societatis partes, ex Urbe, tamquam e centro, ejus mandata permanarent. Porro, quoniam gubernare quos ignorat, nemo potest, ea cujusque loci Præsidibus imposita est cura, ut Præpositum Generalem de illis quos regunt, faciant per litteras certiorem. Præterea, tertio quoque anno, Romam mittuntur Procuratores e qualibet Provincia, qui eumdem de suæ Provinciæ statu, gravioribusque negotiis, coram edoceant.

Caput Societatis.

Quod si quid oriretur dubitationis et controversiæ, addidit Ignatius Præposito Generali seniores aliquot Professos expertæ, ob diuturnum

Assistentes.

gubernandi usum, prudentiæ, quorum consiliis uteretur : Assistentes vulgo appellamus; Provincias autem, unde sumuntur, et quarum proinde majorem notitiam habent, vocamus Assistentias. Cujusmodi quinque nunc sunt : Italiæ, Lusitaniæ, Hispaniæ, Galliæ, et Germaniæ. Apposuit etiam Admonitorem, virum gravem et spectatæ probitatis, cui jus esset monendi prudenter et modeste Præpositi Generalis, si quid ab eo peccari contra Societatis leges, et bonum commune, videretur.

Societati a S. Ignatio inventa propugnacula :

Ita constituto Societatis corpore, membrisque inter se, et cum capite colligatis vinculo mutuæ charitatis, et peculiaris obedientiæ, cui principem, inter virtutes Societati colendas, locum esse voluit : restabat, ut ejusdem corporis incolumitati ac perpetuitati consuleret. Quatuor aut quinque adminicula, quibus totam hanc molem fulciret, excogitavit.

primum propugnaculum,

Primum est, ut e Societate pellantur perturbatores, aut flagitiis ad exempli perniciem grassantibus infames, item inemendabiles, et alii, si qui erunt ejus generis. Negat vero tarditatem ingenii, aut valetudinis imbecillitatem, ac morbos, maxime post initam Societatem contractos, idoneam esse causam, cur aliquis dimittatur. In iis porro amovendis qui videbuntur dimittendi, maximam adhiberi jubet cautionem, et omnia tentari, prius quam ad extrema hæc veniatur : more ac modo medici sapientis, qui ægre ac pedetentim ad crus, brachiumve reciden-

dum adigitur. Scholasticos approbatos, nec non Coadjutores formatos, cum dimittuntur, omni votorum suorum, quippe dumtaxat simplicium, nexu solutos esse declarat. Ne vero, cum erunt soluti, vitam infelicem trahant, eos bonorum, quæ possidebant antequam Societatem ingrederentur, dominio non spoliat, etiam post emissa, tirocinio peracto, vota; ut in eorum possessionem, postquam erunt dimissi, redire valeant. Ita nihilominus dominium illud retinent, ut hæc administrare bona, aut illis uti nequeant absque Superiorum facultate; nec ea retinere possint ultra tempus, arbitrio Præpositi Generalis præscriptum, quo tenentur eadem abdicare. Qua ratione autem stet votum paupertatis religiosæ cum isto dominio, nec non quæ sit ratio votorum simplicium in Societate, explicatur Libro XII, Part. V. Hist. Soc. * Satis sit in præsentia dicere, hanc votorum in Societate simplicium conditionem, et reliquas Ordinis nostri leges, a Summis Pontificibus non semel, ac demum ab Ecclesia Universa, in Concilio Tridentino, approbatas, et sancitas fuisse.

* *Num.* 75, 76, 80, *etc.*

secundum,

Alterum Societatis munimentum est, obstructus Ecclesiasticis honoribus in illam aditus. Ea ratione ambitionem excludit, qua nulla pestis ad convellendas sanctissimarum Sodalitatum leges, et omnia divina humanaque jura perfringenda, præsentior. Tum autem optimum quemque Societati hoc pacto sic alligat, ut ab ea non possit

favore Principum, amicorum studiis, aut spe honoris et commodorum avelli. Quamobrem Professos peculiari obstringit voto, ac promittere jubet futurum, *ut numquam curent, aut prætendant extra Societatem prælationem aliquam vel dignitatem, neque consentiant in suam electionem, quantum in ipsis fuerit, nisi coacti obedientia ejus qui præcipere ipsis potest sub pœna peccati. Imo numquam se acturos, vel prætensuros, ne indirecte quidem, ut in aliquam prælationem, vel dignitatem eligantur in Societate vel promoveantur* *.

* *In votis simplicibus Professorum.*

tertium, Jam considerans B. Pater paupertatem certissimum, ac tutissimum esse religiosæ vitæ propugnaculum, quo everso, florentissimi quondam Ordines corruerant, eam severis legibus adstrinxit, adeo ut nullam cujuslibet Evangelici laboris mercedem accipi a suis voluerit; Professorum Domos nullis fundaverit vectigalibus, ac ne illo quidem frui stipendio permiserit, quod vulgo sacerdotibus pro quotidiano sacrificio erogari solet. Ceterum, ne tam strictos aliquando nodos laxaret aut diuturnitas temporis, aut hominum incuria, Professos peculiari obstrinxit voto, numquam ut consentiant de iis legibus mutandis, nisi forte videretur paupertas arctioribus vinculis alliganda.

quartum, Præterea cum probe nosset, quidquid violentum est, idem esse minime diuturnum; gubernandi rationem paternam instituit, adeo ut alumni

Societatis ipsi se regendos Præsidibus suis potius darent, quam regerentur externa vi, ac traherentur. Eam ob causam edixit, ut quisque statis temporibus rationem conscientiæ Moderatori suo reddat, idque sub sigillo confessionis aut secreti, aut quacumque ratione ipsi placuerit : vultque omnibus persuasum esse, ipsos rationem hanc Patri reddere, non Judici. Ea vero tanti semper habita est in Societate momenti, ut inter Instituti substantialia, quæ vocant, numeretur.

Ad extremum, quoniam provideri omnia, et præcaveri nequeunt, statuit, ut quotiescumque opus foret, cogeretur Congregatio Generalis, cui summa in caput ac membra Societatis potestas esset. Declarandi vero, an et quando cogenda præter ordinem sit Congregatio, arbitrium jusque vulgo est penes Procuratores, qui, tertio quoque anno, convenire in Urbem solent. quintum.

Hæc omnia fuse prosequitur Sanctus Fundator in suis Constitutionibus, quarum prima pars exponit modum eos admittendi, qui ad Societatem aggregandi videbuntur; quænam admissionem impediant, ne fiat; quæ factam dirimant. Secunda, modum illos dimittendi, quos ablegandos Societas judicabit. Tertia et quarta disserunt de pietate, studiis litterarum, et aliis Scholasticorum approbatorum muneribus, qui ad gradum Professorum, aut Coadjutorum veluti præparantur. Quinta explicat quales debeant esse, qui admittendi sunt Constitutiones a S. Ignatio editæ.

in corpus Societatis, hoc est, ad gradum Coadjutorum aut Professorum. Sexta et septima hunc utrumque gradum, quo Societas maxime continetur, pertractant; ejusque ministeria, et appositas illis recte obeundis leges subjiciunt. Octava et nona complectuntur quidquid ad Præpositum Generalem pertinet. Decima denique varias proponit artes, ac præsidia tuendæ, atque administrandæ Societatis.

Antequam Constitutiones promulgarentur Ignatius prudentissime fecit, ut antiquiores Patres e variis nationibus convocaret, quorum e sententia decerneret id, quod esset Divinæ laudi, omnique hominum generi maxime consentaneum. Lectæ sunt ab omnibus, summoque consensu probatæ. Ac ne tum quidem vim eas ullam habere, nisi ab universa Societate denuo recognitas probatasque, voluit, id quod post ejus obitum, in prima Congregatione Generali, est factum. Quo tempore cum oblatæ Summo Pontifici Paulo IV fuissent, eas a quatuor Cardinalibus diu multumque examinatas, ne verbo quidem ullo dempto, vel mutato, restituit. Nec sane mirum : siquidem apparet a divino potius, ut Paulus III loquitur, spiritu, quam ab humana prudentia fuisse profectas. Et vero Ignatius, post expensa diligenter, et in utramque partem librata rationum momenta, quidquid constituerat, ad *sanctuarii* velut *pondus* exigere studebat; exaratamque calamo deliberationem imponere solebat altari, quo fere modo sanctissimum Pontificem

Leonem, cognomento Magnum, accepimus in ara Principis Apostolorum epistolam ad Flavianum suam deposuisse, ut si quid in hoc scripto abhorreret a recta Fide, Apostolus ipse corrigeret. Certe constans primorum opinio Patrum fuit, Beatissimam Virginem, Religionis, ut Rupertus vocat, Magistram, Ignatio scribenti suas Constitutiones, adfuisse, ac multa, quæ in rem Societatis erant, dictavisse. Ipse B. Pater, disserens cum P. Ludovico Consalvio de peculiari quadam certis in capitibus Instituti nostri ratione, non obscure significavit, omnia sibi præmonstrata et præscripta divinitus fuisse, jam inde ab illo die, quo profanis curis valere jussis, in suo illo, ad Manresam, perfectioris vitæ tirocinio, totum se Deo ac divinæ gloriæ devoverat.

EPITOMES HISTORIÆ
SOCIETATIS JESU

Liber Primus.

Ab anno Christi 1540 : Societatis primo
Ad ann. Christi 1557 : Societatis 18.

Cum Societas Jesu non sibi tantum, sed Orbi quodammodo toti nata sit, nulla pars Orbis terrarum non videtur aliquid ad eam, vel formandam vel augendam ornandamque, contulisse. Patrem illi dedit Hispania in ejus conditore; matrem Gallia in Academia Parisiensi, quæ primos Ignatii sodales e fecundo protulit sinu; a Lusitania incrementum habuit, et prima domicilia; Germania ipsi campum aperuit, et arenam in qua cum Hæreticarum partium antesignanis depugnaret. Asia, Africa, et America solum incultum obtulere, quod Fide Catholica et moribus Christianis consereret, quod sudore et sanguine suo rigaret. Italia illi quodammodo animam et vitam dedit, cum a Paulo III, Pontifice Maximo, approbata, formam Ordinis religiosi ac statum adepta est.

Neque vero quidquam interposuit moræ, quin acceptam ortu felici vitam proderet, exerceretque primum in Europa, deinde in ceteris Orbis terrarum partibus, in quas lucis instar subito se ac labores suos feliciter, Deo promovente, diffudit.

Ad Indiam Patres S. J. vocantur;

Joannes III Lusitaniæ rex, non armis magis, quam pietate ac studio religionis amplificandæ inclytus, cum inferre Christum Indiis, nuper Lusitanæ ditioni additis, percuperet, aliquot nascentis Societatis homines ab Ignatio postulavit. Ab eo designati Simon Rodericius, et Nicolaus Bobadilla: sed Bobadillam gravis invasit morbus, idemque, ut se dabant initia, non tam cito persanandus. Moras non ferebat Petrus Mascarenia, Lusitani regis Orator, paucis post diebus discessurus.

Fr. Xaverius mittitur.

Ignatius, divina collustratus luce, Xaverium vocat, eumque in ægrotantis Bobadillæ locum substituens: *Bobadillam*, inquit, *Indiis destinaveram; nunc te illis cælum destinat, idque tibi Summi Pontificis nomine denuntio. Factam tibi copiam laboriosæ Missionis gaude. Non Palæstinam tantum, sed immensa terrarum spatia, sed Orbem alterum, sub Christi juga mittendum habes. Ingenti huic animo ingens campus debebatur. I quo Deus vocat, quo mittit Roma, quo Ignatius, si liceret, sequeretur. I, et omnia eodem, quo ardes, igne succende.*

Xaverius, imparem se oneri tanto professus, in Pontificis tamen, et Ignatii potestate futurum se

respondit. Mox candide ac familiariter amantissimo Patri sensus intimos sui pectoris aperiens, summam suorum hactenus votorum Indias fuisse, nec dubiis sibi cognitam signis Dei voluntatem, affirmavit. Narrabat oblatum sibi fuisse non semel in somnis Indum prægrandem, quem cum in humeros sustulisset, opprimebatur pondere, vix ut e nocturna illa defatigatione se recrearet. Itaque statim cum Oratore Lusitano est profectus, Idibus Martiis anni MDXL, nihil ex Urbe, præter Sacerdotalium precum codicem, efferens. In itinere multa edidit eximiæ virtutis exempla, illud singulare: Pyrenæo saltu superato, in Navarræ fines ventum erat. Non dubitavit Mascarenia, quin Xaverius paternam domum, non procul disjunctam, viseret; ac parentibus et propinquis supremum longumque vale diceret. Instabant comites; urgebat ipse legatus, datam opportunitatem admonens, quam si amitteret, numquam deinde esset habiturus. Audiendum sibi Mascareniam Xaverius non putavit; relicto semel seculo, nihil in seculo jam suum ratus, et visendos sibi parentes in cœlesti patria dictitans, ubi numquam esset ab iis discessurus.

Ingressus Olisipponem, quo jam pervenerat Simon Rodericius, viæ compendium mari nactus, illum offendit quartana graviter laborantem, et carissimum sodalem blande complexus febrim subito propulsavit. Rex eorum adventu lætus, et

animos ad expeditionem arduam paratissimos collaudans, omnia ipsis non solum ad usus vitæ necessarios, verum etiam ad lautam ubertatem interim, dum profectionis tempus præstolabantur, subministrari jussit. Illi votivæ paupertatis tenaces, diu multumque cum Principis optimi liberalitate certarunt, seque in publicum contulere valetudinarium, unde statis horis egressi, post datam ægrotis operam, lustrabant custodias, rudibus ac pueris tradebant elementa Christianæ legis, delatum e Regia cibum dividebant in egenos, ipsi victitantes mendicato. Multi eorum sermonibus et exemplis ad perfectioris vitæ studium incitabantur; Patrumque virtus et industria tam novo spectata successu magnam apud proceres æque ac populum commendationem habebat, adeo ut non secus atque Apostoli, et homines cœlitus missi ab omnibus celebrarentur. Hic Societatis ingressus in Lusitaniam fuit.

Societas ingreditur Lusitaniam,

Jure quodam suo reposcere videbatur Hispania uberrimos novæ familiæ fructus, cum Ignatium, ipsius auctorem, procreasset. Illos primus in eam intulit Antonius Araozius. Erat is Cantaber, ex oppido Vergara, magno ingenio et animo juvenis, jamque Theologiæ doctor, cum Romam accessit ex Hispania, ut Ignatium inviseret, propinquum suum. Ibi perspecta, in pio Exercitiorum spiritualium recessu, rerum caducarum inanitate, illis nuntium remisit, et adscriptus inter Socios

Hispaniam,

necesse paulo post habuit in patriam regredi, ad componenda quædam domestica, et Societatis negotia. Barcinonem cum appulisset, perhumaniter a veteribus Ignatii amicis exceptus est, oratusque, ut ad populum diceret pro concione. Hoc vero facere tam ardenter instituit, ut de adsciscenda Societate civitas universa cogitaret. Inde in Castellam properans, Vallisoleti, et Burgis, pari cum fructu verba fecit, ac Turcas aliquos eripuit Mahometo. Inde in Cantabriam progressus, eamdem dicendi copiam exprompsit, totis oppidis ad eum audiendum convolantibus, adeo ut, translato e templorum angustiis in patentes campos suggestu, arborum cacumina avidis auditoribus complerentur. Barcinonem a cupidissimis civibus iterum accitus, omnes ita devinxit, ut de illo retinendo ad Ignatium Franciscus Borgia, Catalauniæ tunc Prorex, civitas vero ad ipsum Summum Pontificem litteras dederit. Sed Romam coactus repetere, ita discessit, ut spem redeundi faceret. Datam fidem anno MDXLV in Hispaniam reversus liberavit.

Societatem non minori jure, quam Hispania sibi Gallia vindicabat; quæ primos Ignatio dederat sodales, et fausta Ordinis fundamenta in Martyrum Monte jecerat. * Postquam auctoritate Apostolica Societas confirmata fuit, continuo magnus adolescentum egregiæ spei factus est concursus ad novum Ordinem religiosum amplectendum, quos B. Pater, id cavens, ne a litteris imparatos in lu-

et Galliam.

* *Procemium p.* 11.

cem hominum, et Evangelica ministeria proferret, Lutetiam, doctissimis professoribus abundantem, plerosque misit. Urbem ingressi constiterunt in collegio, cui nomen a regiis Quæstoribus est, non procul a S. Ivonis templo : migrarunt, biennio post, in collegium a Longobardis dictum, ubi sic incumbebant in studia litterarum, ut populum ad studium virtutis accenderent. Erant in iis Franciscus Strada, Petrus Ribadeneira, Joannes Baptista Viola, Pontius Gogordanus, Andreas Oviedus, et Joannes Pelletarius (magna in Societate nomina) quibus accessit P. Everardus Mercurianus, Societatis postea Præpositus Generalis quartus.

In Germania Petrus Faber.

Quo gravius ab hæreticis periclitabatur Germania, eo libentius utiliusque Societatem, sibi divinitus destinatam, accepit. Primus Nostrorum eam ingressus est P. Petrus Faber, e novem primis Ignatii Sociis antiquissimus. Eum sibi comitem a Paulo III postulaverat Petrus Ortizius, Cæsaris Orator; ultroque Pontifex concessit, perspectam Fabri prudentiam, et eruditionem, haud inutilem fore judicans, Vormatiæ, qua in urbe indictum Catholicos inter ac Protestantes colloquium fuerat: Lutheranis id a Carolo V postulantibus ad componendas, quæ Germaniam dudum turbabant in religionis causa, lites. Cæsar, quamvis probe intelligeret parum istis colloquiis profici, quæ idonea decidendi quidquam auctoritate carent, nihilomi-

nus annuit, ne per ipsum allata publicæ tranquillitati et concordiæ mora videretur. Wormatiam attigit Faber Octobri exeunte, atque, ut a Pontifice jussus erat, habendis concionibus, monendo privatim ac docendo, magnam Catholicis utilitatem attulit. Ut publice cum hæreticis ageret, potestas nulla fuit : neque ullum operæ pretium in hoc priore colloquio Wormatiensi factum. Cæsar itaque aliud indixit Ratisbonæ. Illuc Faber festinavit. Ad eum tamquam ad communem Patrem Catholici Germani, Itali, Hispanique concurrebant : eique præter ceteros exercendum se piis commentationibus dedit doctor Cochleus, magnum ea tempestate religionis columen. Inde Norimbergam excurrens, nonnullos a grege catholico aberrantes, ad illum revocavit : quin etiam aliquot Mauros in eumdem induxit. Ortizium tamen paulo post in Hispaniam sequi ab Ignatio jussus est.

Dum Faber viam quasi sternit Sociis in Germaniam venturis; alii per Italiam dudum sparsi, munia Societatis non minori contentione, quam fructu, exercebant, ut cognosci potest e litteris Francisci Bandinii, Archiepiscopi Senensis, qui de ipsorum uno sic ad Ignatium scribebat*. *Ea est Paschasii vestri, aut potius nostri, vitæ integritas, et morum suavitas, ut omnibus gratus, jucundusque sit, mihi vero gratissimus : et in eo munere, quo hic fungitur, est adeo vehemens, ut summa ejus cum laude, oculos omnium in se*

* *Senis* 1540.

converterit. Nam verbis hortatur, exemplis juvat, humilitate allicit, caritate ad bene beateque vivendum inflammat. Ignatius interim Romæ, velut ad clavum, sedens, regebat Societatem, et magni corporis membra formabat.

Annus Christi 1541 : Societatis 2.

Præpositus Generalis Societatis,

Suum adhuc deerat Societati caput, idque restabat unum, ut Præpositus Generalis crearetur. In hanc sedulo curam primi Patres incubuerunt. Xaverius, ac Rodericius, in Lusitaniam profecturi postulatu Joannis III, uti narravimus, expectare non potuerunt, dum qui erant in Italia Socii Romam convenirent; itaque suum suffragium perscriptum et obsignatum reliquere, quo Ignatium eligendum judicabant. Petrus Faber, ab Ortizio Cæsaris Legato in Germaniam ad Wormatiensem conventum, Pontificis permissu abductus, suum epistola inclusum misit. Vetuerat omnino Pontifex ne pedem e regno Neapolitano Bobadilla prius efferret, quam negotia, quæ præ manibus habebat, confecisset. Dum iis finem celeriter imponendum, seque Romæ prope diem adfuturum sperat, diutius opinione cunctatus est, electusque fuit interim Ignatius ceterorum suffragio, cui Bobadilla subscripsit. Romam, ubi cum Salmerone et Codurio versabatur Ignatius, soli accessere Lainius Parmâ, Jaius Brixiâ, Senis Paschasius. Ac primo quidem summam Constitutionum a B. Patre

descriptam communibus votis approbarunt: deinde ipsum Ignatium quinto Idus Aprilis anni MDXLI Præpositum renunciarunt, dissentiente nemine præter ipsum: qui ne alium alii præferre videretur, eum consulto nominavit, in quem plurimi conspirarent, uno se dumtaxat excepto. Hunc vero unum singuli miris ornabant laudibus, in obsignatis, quæ conjecerant in custodem arcani cistellam, suffragiis, et quorum autographa servantur in tabulario Romanæ Professorum domus. Suorum consentientibus votis, et suffragiis, attonitus mœrensque B. Pater multa dixit, cur onus excuteret suis, ut aiebat, impar viribus. Rogavit ut, tridui aut quatridui spatio interposito, Divinum lumen attentius exposcerent. Hæc modestia Patres magis in pristina sententia confirmavit. Morem nihilominus, pro ea, qua communem Parentem observabant, veneratione, gesserunt. Exacto per assiduas preces, et voluntarias pœnas quatriduo, rursus itum est in suffragia. Idem prorsus omnium consensus extitit. Necdum tamen cessit Ignatii humilitas; donec Sacerdotis, quo conscientiæ judice utebatur, imperio coactus morem Patribus gerere, Societatis regimen suscepit.* Mox carissimos sodales ac filios ad visitanda septem præcipua Urbis templa deduxit: ipse in Basilica B. Pauli, quæ, ut extra muros posita, remotior est ab hominum concursu, sacris operatus, ad aram Beatissimæ Virginis, quatuor vota

eligitur Ignatius,

qui regimen coactus suscipit.

* *anno* 1541, *die Paschatis.*

Professorum, inter sacrificandum, clara voce pronunciavit. Quem ceteri similiter consecuti, sumpta Eucharistia, gratiisque persolutis, alios alii, manantibus præ gaudio lacrymis, suavissime complexi sunt. Sancitum fuerat, ut qui professionem ederent in Societate, doctrinam Christianam rudibus, et pueris statim ab edita professione, certo dierum numero, explicarent : quæ lex Domorum etiam nostrarum et Collegiorum Præsidibus est imposita. Utramque Ignatius ut exemplo suo firmaret, Christianæ rudimenta doctrinæ, per sex et quadraginta dies continenter explicavit, in Societatis templo, quod S. Mariæ *della Strada* vulgus appellabat, ad Capitolii radices, quo postea in loco Alexander Farnesius, Cardinalis, ædem Professis amplissimam et ornatissimam ex-
* *Anno* 1568. struxit*, ejusque pronepos domum eorumdem, non ita multo post, a fundamentis erexit.

Dum sic in terris stabilitur Societas, visa est cœlestis patriæ possessionem adire, in uno e suis
Obitus Patris J. B. Codurii. decem primis Patribus, Joanne Codurio, qui sub idem tempus cessit e vita. Cum in ædem S. Petri in Janiculo, ad rem Divinam pro ejus valetudine faciendam, properaret Ignatius, medio in ponte, qui Sixti dicitur, intentis in cœlum oculis, velut admiratione defixus, repente constitit. Tum ad comitem conversus : *Referamus,* inquit, *nos domum; Codurius noster decessit.* Creditum est conspectam ab Ignatio, ut antea Hosii, sic nunc

Codurii animam, quæ cœlum subiret. Et vero ad P. Fabrum scribens de Codurii obitu, narravit eum a pio viro visum fuisse ad sedes beatorum evolantem.

Unius jacturam alii multi compensarunt, quos Præpositus Generalis alios alio, quocumque divina gloria et animarum vocabat salus, emittebat. Lainium Veneti a Pontifice postularunt. Illuc profectus e Longobardia, ubi Margaritæ Austriacæ, conjugis Octavii Ducis Parmensis, conscientiam regebat, urbem nobilissimam periculo errorum, quos amor pestiferæ novitatis in eam inducere tentabat, liberavit. Inter cives ab illo potissimum excultos, præstabat amplitudine generis, prudentia ceterisque ornamentis Andreas Lipomanus. Hic Lainium, et lectam Sociorum manum, in suas traduxit ædes, ac Prioratum S. Mariæ Magdalenæ, excitando Societatis Collegio, donavit, annuente Summo Pontifice. Inde natum Collegium Patavii, nostrorum in Italia primum. Patavinum Collegium,

Opperiebantur in Lusitania Xaverius et Rodericius ventos ac tempestatem idoneam, qua in destinatam suis votis Indiam navigarent, cum Rex de ambobus in Lusitania retinendis cogitavit. *Cur enim*, inquiebat, *ratio potior habeatur barbarorum quam Lusitanorum: cur alienis commodis consulamus prius quam nostris?* Causa regium ad consilium est delata. Henricus, postea Cardinalis, ac subinde Lusitaniæ rex, pro Indiis et Pontificis

voluntate pugnabat : Rex aliique primores, pro urbe regia et Lusitania. Itum est, ut fit, in Regis sententiam. Quod cum ex amicis Xaverius, Rodericiusque cognovissent, enimvero, nec opinato nuntio commoti, protinus Ignatium de novo Regis consilio faciunt per litteras certiorem. Qui, re cum Pontifice communicata, totum negotium arbitrio Principis permittendum censuit. Addidit tamen, posse rem ita dividi, ut Simon hæreret in Lusitania, Franciscus in Indiam pergeret, si Regi videretur. Quod ille faciendum de Ignatii sententia judicavit. Paucis illis mensibus, quos Patres Olisippone traduxerant, cum increbrescere Societatis nomen cœpisset, Rex illis ædem Sancti Antonii assignavit. Ad eos deinde cum accessissent alii, Roma Lutetiaque profecti, lectam ex eo numero catervam, jubente Rege, deduxit Conimbricam, et initium Collegio Conimbricensi fecit Simon Rodericius. Xaverius vero, in Indiam evolavit. Discedenti Rex Lusitaniæ quatuor Summi Pontificis diplomata in manus tradidit. Duobus primis Paulus III Xaverium creabat Nuntium Apostolicum, et amplissima potestate, ad stabiliendam et disseminandam Oriente toto Fidem, instruebat. Tertio diplomate eumdem Æthiopiæ Imperatori; quarto, ceteris Principibus, quorum adeundi fines erant, commendabat. Xaverius ingentes egit gratias, daturumque se operam dixit, ut Summi Pontificis, et Regis votis, quantum ferret sua tenuitas, responderet.

et Conimbricense.

Xaverius in Indiam evolat;

Paucis ante profectionem diebus, Antonius Ataidius, Comes Castenerius, cui data commeatus nautici comparandi cura, Xaverium adit, ac significat, sibi a Rege imperatum, ut ei, quæcumque opus erunt ad iter, prolixe præbeat. Itaque rogat quamprimum indicem edat earum rerum, quas curari velit. Cui Xaverius subridens : *Magnam habeo regiæ liberalitati gratiam, ac tuæ diligentiæ : ceterum præsidii plus in Providentia Divina repono, idque ut facere mihi per te, ac Regem liceat, peto.* Instabat Ataidius, ut saltem non recusaret, servulum, quo uteretur ministro in re domestica. Id quoque respuit Xaverius, et ita cum Comite locutus est, ut ille cœlestem hominis sapientiam admirans, postea prædicaret, sibi non minus cum Xaverio, ut plus acciperet; quam cum aliis, ne plus exigerent, fuisse certandum.

Ingressus est mare Xaverius septimo Idus Apriles anni MDXLI in prætoria navi Proregis Indiæ, Martini Alphonsi Sosæ, annum ipse agens sextum et trigesimum. Navigatio tredecim totos menses tenuit. Causa moræ longioris fuit hyematio fere sex mensium in Mozambico. Id nomen est regni pariter et insulæ exiguæ, in latere orientali Africæ, in gradu circiter quintodecimo Latitudinis austrinæ. Hæc insula, non amplius mille passibus a continenti sejuncta, portum Lusitanis mari fessis, et receptum præbet. Hic solent interquiescere, navigia reficere, instaurare annonam, ægro-

quid gesserit in Mozambico,

tos exponere. Illorum vero ingens numerus, et infesti contage periculosa morbi, magnam Indiarum Apostolo, ejusque sociis duobus Paulo Camerti, et Francisco Mansillæ, charitatis et patientiæ materiam obtulerunt. Xaverium, in nosocomio circa lectulos concursantem, medicus observans, ut vidit pallidum, et animam ægre ducentem, manum prehendit, micantemque tangens venam, exclamat : neminem in toto nosocomio pejus valere; quiesceret paululum, si vivere, si reliquis prodesse vellet. Cui Xaverius : *Fiet,* inquit, *sed ante quidpiam urget momenti gravioris. Agitur unius animæ salus, et grande in mora periculum est.* Vix hæc, et in suum ipsius lectum deportari jubet adolescentem, in stramine jacentem, ardenti perustum febre, voce ac mente destitutum. Qui ut in Sancti lecto depositus est, repente vocem cum bona recepit mente. Composuit se Xaverius ad ejus latus, et ad peccatorum detestationem, ac fiduciam divinæ misericordiæ, hortari tota nocte non destitit, donec æger, spei bonæ plenus, excessit e vita.

Relicto Mozambico Lusitana classis Africæ oram legere perrexit, ac Melindam primo, deinde Socotoram devenit. Melinda Saracenorum oppidum frequens ac munitum, Lusitanis etiam, eo commercii causa commeantibus, amicum, in agro feraci, cultissimoque sedet. Rex obviam prodiit cum proceribus, Proregem Indiæ ut exciperet.

Xaverius religioni intentus, captavit occasionem disputandi cum doctoribus Mahometanis, et Alcorani deliria demonstravit. Nec desperabat aliquid profici posse, quantumvis apud pertinaces, et Mahomete suo ebrios, si longiorem illic trahere moram licuisset. Paucis post diebus discessum est : Socotora insula, in aditu Erythræi sinus, Melindæ multum dissimilis est. Solum sterile, siccum, incultum, rerum omnium inops, præterquam aloes optimæ et exquisitissimæ. Indigenæ mixtum e variis quasi membris monstrum religionis colunt. A Saracenis Mahometanos quosdam ritus, a Judæis circumcisionem, a Christianis nomen traxere. Divum Thomam præcipue venerantur, quem Indias petentem ac tempestate in Socotoram delatum aiunt. Baptizandos infantes suos Xaverio, se docendos, ultro dedere. Ardebat vir sanctus illorum obsequi votis, et messem paratam succidere. Vetuit Sosa, hyemem instare monens. Solventem e portu Xaverium Socotorani lacrymis perfusi, obsecrabant ne ipsos desereret. Quod licebat, promisit : daturum se operam, ut Sacerdotes quamprimum et magistros in Socotoram mitteret. Id quarto post anno factum.

quid Melindiæ, et Socotoræ.

Annus Christi 1542 : Societatis 3.

Goam Lusitana classis attigit pridie Nonas Maii anno MDXLII. Ibi ethnicorum, barbarorum et Mahometanorum, ut in emporio celeberrimo, con-

cursus ingens; et ex illa colluvie, mores civium inquinatissimi. Xaverius medicam statim curandis vitiis et erroribus manum admovit. Unus ægrotis in valetudinario publico, ubi domicilium sibi delegerat, vinctis in custodia, calamitosis in urbe, operam diurnam et nocturnam impendit : maxime autem pueris instituendis, quos ut in templum congregaret, vicos et plateas cum tintinnabulo circumibat. Civitas brevi mutata, faciem aliam, alios mores induit. Pietas, pudor, justitia in pristinum honorem, ac velut in lucem, ex ignominia tenebrisque reposita. Ut vero certior ad diuturnitatem fructus, præsertim in juventute instituenda, foret,

Seminarium Goanum.

Seminarium Goanum Societati datum est. Summopere optabat civitas, ut ejus curam Xaverius susciperet. At ille indocilis, urbe una, uno claudi tecto; et Indiam omnem, ac si quid ultra occurreret, ingenti animo complexus, relicta Sociis cura Seminarii, contendit in orientalem Promontorii Comorini partem, cui Oræ Piscariæ nomen est. Occasio maturandæ profectionis hæc fuit.

Bellum grave Saracenos inter, et Paravas (ita vocant incolas oræ Piscariæ) ante aliquot menses exarserat. Paravæ legatos ad Prætorem Indiæ miserant, opem petitum. Qui non solum a Saracenorum tyrannide, illos vindicaverat, sed etiam plurimos baptismo curaverat expiandos. Verum Sacerdotibus et magistris destituti, quorum plerique ardoribus æstuosæ regionis et omnium vitæ

commodorum inopia territi, domum remigraverant, ad pristinos paulatim redierant mores, et Christianum habebant nihil, præter baptismum, et nomen. Xaverius obire statim pagos, rudibus elementâ Fidei tradere : morbos ab ægrotis, a nonnullis immundos spiritus, depellere : nec paucos ethnicos ad ovile Christi aggregare, partim veritate demonstrata, partim editis miraculis, ac potissimum uno præter cetera memorabili. Devenerat in ethnicorum pagum avitæ addictissimum superstitioni. Cum persuadere nihil verbis posset, operibus impetrandum censuit. Ergo feminam e pagis primoribus, tertio jam die laborantem ex partu, et invocandis frustra patriis Numinibus fessam, adit. Rogat, num esse Christiana velit? Annuentem et edoctam pro tempore, baptizat. Baptizata fœtum incolumem effundit, incolumis, penitusque sana. Pagus totus Christum adoravit, et vicinos pagos exemplo traxit.

Sic longissimum Comorini tractum vel ad Christi cultum adduxit, vel in eo jam suscepto confirmavit. Utebatur plurimum pueris, et eorum ope parentes ipsorum, ac propinquos edocebat. Tum singulis oppidis et pagis singulos binosve relinquebat muneris sui vicarios, qui Baptismo ministrando periclitantibus infantibus succurrerent, et legem Divinam populo explicarent. Neque cessabat ipsemet ea revisere loca, ubi primam Divini verbi sementem sparserat, ut, quis frugum

esset proventus, num quæ succrevissent zizania, cognosceret; satis gnarus, parum esse plantare aut rigare, nisi plantata et rigata perducantur ad maturitatem. « Sæpe mihi usu venit (inquit ipse in sua quadam ad Socios Romanos epistola) ut manus baptizandi defatigatione fractas habeam. Quippe interdum singulis diebus toti pagi baptismo lustrantur; nec raro ex crebra Symboli Apostolici taliumque rerum iteratione, vox me viresque deficiunt. Incredibile est, qui fructus ex infantium baptismo capiatur. Illorum amplius decem millia vitali purgata fonte statim cœlum accepit. Mirificum pueros tenet odium idololatriæ; usque eo, ut cum ethnicis ob eam causam suscipiant simultates; ipsosque parentes, si quando eos senserint cultum tribuere idolis, objurgare, atque ad me deferre non dubitent. Ipsi suapte sponte Deorum simulacra invadunt, deturbant, comminuunt, consputant, et proculcant. » Addit vir sanctus varia miracula, quæ Fidei puerorum et pietati assignat, cum ipse illorum magna, et præcipua pars esset.

Salmeron et Broëtus ad Hiberniam missi.

Dum in Orientem longe ac meridiem Societas, duce Xaverio, procurrit; eadem in ultimas Septentrionis oras Missionnarios Apostolicos immisit. Conservabant Hiberni complures catholicam Fidem, quam pene omnis Anglia turpiter abjecerat. Ad virorum fortissimorum pietatem muniendam Pontifex, urgente præsertim Arma-

cano Archiepiscopo, primario insulæ Antistite, nonnullos de Societate in Hiberniam ampla cum potestate legandos censuit. Hæc provincia Patribus Alphonso Salmeroni, et Paschasio Broëto demandatur. Profecti anno superiore, quarto Idus Septembris; ac monitis Ignatii, quæ singularem viri prudentiam spirant, instructi, pervenere in Hiberniam ineunte hujus anni quadragesima. Omnia periculi, terroris, perduellionis plena. Nec tamen idcirco desponderunt animum; sed mutandis subinde latebris, captandisque temporibus, omnem laborem ac diligentiam in juvandis saltem catholicis collocarunt. Nullæ satis latebræ Christi famulos tegere potuerunt. Illos piorum favor, et concursus, æque ac pavor impiorum, et odia prodiderunt. Quasi hostium agmen Hiberniam invasisset, sic in eos edicta, lictores, tormenta, comparantur. Cum nulla spes non modo fungendi officii, sed ne salutis quidem retinendæ appareret, ingensque discrimen catholicis eorum causa crearetur, in Scotiam profugere statuunt, ubi forte populo quietiore uterentur. Sed cum omnes aditus diligentia procerum, qui a religione defecerant, obsideret, coacti sunt in Italiam remigrare, quemadmodum ipsis imperatum fuerat. Eorum in locum Socii postea successere.

Commodius omnia ceciderunt Patribus Jaio et Bobadillæ, in Germaniam submissis, post P. Fabri ex ea discessum. Jaius in Senatu Ratis- Ratisbonæ Jaius hæresin oppugnat;

bonensi peroravit : Antistitem et canonicos ad veritatis partes tuendas excitavit; cumque duobus in templis Lutheranorum conciones haberentur, ipse aggressus est explanare Pauli epistolas, maximâ omnium frequentia, etiam hæreticorum; id agens, ut pestilenti doctrinæ, sanam e Doctoris gentium litteris petitam, opponeret. Conatus etiam est lutheranum concionatorem a dicendi munere amovere; sed eo facto magnam improborum subiit invidiam, qui perdere illum veneno, aut in flumen dejicere tentarunt. Ipse tanto instare vehementius et contra torrentem niti. Postquam vidit ruere Senatum in hæresim, et populum eodem impetu abreptum; ingemuit, non tantum exitio clarissimæ civitatis, verum etiam periculo vicinarum. Licet enim Guillelmus Bavariæ dux capitali edicto cavisset, ne quis e sua ditione quidquam rei cum Ratisbonensibus haberet, ac ne pedem quidem in eam urbem inferret, palam professus vitam sibi prius, ac Bavariam universam ereptum iri, quam ut populum suum Luthero proderet : nihilominus, ut flumen hibernis auctum imbribus, in omnem partem, superatis ripis funditur, et stragem longe lateque facit; sic hæresis in proximas Ratisbonæ civitates, ac præcipue Ingolstadium progressa, cladem certissimam urbi florentissimæ minabatur. Ad eam accurrens Jaius jubente Nuncio Sedis Apostolicæ, ibi bonam sequentis anni partem traduxit.

Petrum quoque Fabrum Pontifex in Germaniam, ubi ejus opera necessaria videbatur, ex Hispania revocavit. Prædonum insidias in itinere, carceris ærumnas, militum insolentiam, et ludibria hæreticorum perpessus, demum Spiram attigit. Clerum solutiorem brevi redegit ad priscam severitatem, populum in usurpandis sacramentis parcum, et infrequentem, sic erudivit, ut affirmarent parochi, plures ad sacram Eucharistiam in Paschalibus feriis accessisse, quam totis ante viginti annis. Modestia, æquitas, pudor, ceteræque virtutes, quasi postliminio, sunt reversæ. Faber Albertum inde Cardinalem Archiepiscopum Moguntinum convenit, ejusque ac civitatis universæ tantam sibi prudentia, doctrina et probitate singulari, conciliavit benevolentiam, quanta in totam Societatem postea redundavit. Laudata est in primis ejus abstinentia. Vas illi argenteum magni ponderis, præter alia munera, Cardinalis offerebat. Modeste recusavit ex eorum numero se esse dictitans, qui bona sua secum ipsi portant. Tanto pluris illum æstimavit Archiepiscopus, eoque auctore permulta utiliter, ac præclare sanxit. Acuebat viri Apostolici solicitudinem dignitas Moguntinæ civitatis; quæ si in Fide Christianisque moribus perstaret, sperabat fore, ut ejus ad exemplum civitates aliæ complures facile se componerent.

Faber Spiræ,

Moguntiæ,

Annus Christi 1543 : Societatis 4.

et Coloniæ.

Minoris momenti non erat Coloniam Agrippinam in religione vera continere; sed plus multo periculi ac difficultatis erat. Nam Hermannus, Coloniensis antistes, defectionem a Catholica religione ad Lutheranos meditabatur. Non dubitavit Faber, eum, quod nemo unus audebat, libere ac sapienter admonere; nec parum apud hominem, licet cupiditate prava, æstuantem, profecit: ut per Fabrum præcipue steterit, ne catholica res in civitate clarissima, pessum iret. Id maxime agentem jubet Ignatius in Lusitaniam proficisci; ut Lusitani Regis filiam, Philippo Hispaniarum Principi desponsam comitaretur. Rege ipso id postulante continuo iter ingreditur, ac Leodium, Trajectum, Aquisgranum, opportunis adversus grassantia errorum venena subsidiis, ex itinere communivit. Properantem in Lusitaniam morbus diuturnior Lovanii distinuit.

Cur Lovanium adierint,

Est ea Brabantiæ civitas amplissima, et Academiam habet longe celeberrimam. Illuc aliquot Socii e Gallia se receperant. Cum enim bellum denuo exarsisset inter Franciscum I Galliæ Regem, et Carolum V Cæsarem, Franciscus edici per præconem jusserat, ut, qui de Caroli V ditione essent, omnes Gallia excederent. E sexdecim igitur Sociis, octo Hispani, Lovanium se contulerunt : cumque increbruisset rumor obsidendam brevi Lutetiam a

Cæsare, neque ullus in communi trepidatione, litteris, quæ otio et pace gaudent, esset locus; reliqui Socii Lugdunum concesserunt, brevi tamen Parisios sunt reversi, composita Regem inter Cæsaremque pace. Ibi cum toti essent in studio litterarum, rarius prodibant in publicum, nisi quando specimen aliquod eruditionis dandum erat; reliqua vero Societatis ministeria parcius exercebant, sapienter existimantes, ea numquam tutius, utiliusque tractari, quam cum jacta sunt solida doctrinæ fundamenta. Alii e Sociis, qui Parisiis pulsi Lovanium petierant, prosequebantur studia litterarum inchoata Lutetiæ : ac simul operam animarum saluti paulo liberius dabant. Efflorescebat juvenilis ac pius ardor Stradæ concionantis, qui annos tantum quatuor et viginti natus, maturi jam ac pene perfecti oratoris famam adeptus erat. Pendebant ex ore dicentis theologiæ doctores, religiosi viri omnium ordinum, et cives primarii. Illius sermonibus permotus Oliverius Manareus animum applicuit ad Societatem, cui magno postea ornamento fuit : eam vero statim est ingressus cum aliquot aliis Cornelius Vishavæus, sacerdos egregius, artium magister, nec theologiæ scientia magis, quam virtutis fama, notus; cujus in ædes, relicta, quam conduxerant, domo, Socii migraverunt, ac velut in collegio vitam, e Societatis disciplina commodius instituerunt. Idem Strada plerosque piis commentationibus erudiebat; in

et ibi quid gesserint Strada, Faber et alii.

quibus extitit Lovaniensis academiæ cancellarius, Ruardus Tapperus, vir excellenti doctrina et probitate. Nec Faber, quamvis implicatus morbo teneretur, segni torpebat otio : sed adeuntes consilio regebat, Stradæ formabat eloquentiam, Socios reliquos verbis exemplisque gubernabat; virginum cœnobiis certam præscribebat normam, ad quam religiosæ vitæ studia dirigerent : multos, sepositis curis domesticis, ad exercendum piis meditationibus in salutari dierum aliquot solitudine animum excitabat. His rebus bene ac feliciter, Deo duce gestis, tanta est facta publicam ad pietatem accessio, tam bonus Christi ejusque Societatis odor sparsus, ut quidquid in Belgio postea a Sociis peractum ad Dei gloriam fuit, istis merito initiis debeatur. Inter hæc recreatus e morbo Faber, in Lusitaniam, quo mittebatur ab Ignatio, propediem profecturus sperabatur. At Nuntius Apostolicus, Joannes Poggius, postea Cardinalis renunciatus, qui Bonæ versabatur, intelligens, quanto in periculo Colonia perditissimis illis temporibus versaretur, egerat cum Summo Pontifice, ut in eam urbem, omissa Lusitania, rediret. Coloniensis enim Archiepiscopus, illo absente, acciverat e Germania Superiore Bucerum, Melanchthonem, Pistorium, et alias id genus pestes, quarum exitialibus consiliis utebatur. Faber Coloniam ingressus, nervos omnes eo contulit, ut insidiantes arceret lupos, et Catholicos ab eorum incursibus tutare-

Faber revocatus in Germaniam.

tur. Academicis nonnullis, quos importuna lues afflaverat, eripuit errorem: religiosis cœnobiis pristinas et fere antiquatas restituit leges; sacramentorum dignitatem asseruit usumque restituit. Denique operam dedit ut Bucerus et Melanchthon, ceterique sectæ ductores, qui specioso reformationis vocabulo religionis integritatem deformabant, e Coloniensis agri finibus pellerentur. Illos ipse provocaverat sæpius ad certamen et hominum mendacia, in omni congressu, summa doctrinæ varietate, nec minori virtutis fama refutaverat. Quantum vero cum illis moderationem et prudentiam adhiberet, perspici potest ex ejus ad Lainium epistola, in qua multa tradit de ratione curandi mentes hæreseos veneno infectas *.

* *Lib. IV. Hist. Soc. an. 1644. N.º91.*

Idem in futurum prospiciens, et munimentum aliquod imminentibus Germaniæ calamitatibus parans, sedem Societati stabilem Coloniæ quærebat. Aderant in ea urbe jam sex e nostris, in litterarum studia et salutem animarum, intenti. Cum iis Faber in domicilio conducto, ægre sustentabat vitam piorum eleemosynis, ac præcipue Carthusiensium, quos adeo sibi, et Societati devinxit, ut frequenti conventu decreverint, inter suum et nostrum Ordinem peculiaris amicitiæ fœdus sancire, thesaurosque pietatis omnes, et bona spiritualia communicare nobiscum : id quod anno sequente Petrus de Sardis, majoris Carthusiæ Prior, et totius Ordinis Præpositus, testatum

voluit publicis litteris, ad Ignatium de Capituli generalis sententia, perscriptis. Res bellissime sic procedebat Coloniæ, cum iterum jubetur Faber in Lusitaniam accelerare, postulante Rege Lusitaniæ, annuente Summo Pontifice. Commendatis igitur Carthusianorum charitati sociis, discessit, et florentem in Lusitania, hominum existimatione ac solidarum virtutum studiis, Societatem lætissimus invenit. Sociorum exemplis incitati Academici, canonum et legum periti, doctores theologi complures, totos se Deo tum in aliis familiis, tum vero in nostra devoverunt: adeo ut anno exeunte extremo septem et quadraginta in eam numerarentur adscripti : et Rex ædificationem collegii Conimbricensis quamprimum perduci ad exitum, jusserit. Eam non parum promovit Araozius, et veteribus sociis recentem manipulum, quem ex Italia deducebat, adjunxit. Inde progressus in Hispaniam, Barcinonem primum, deinde Valentiam petivit, jecitque fundamenta collegiorum Valentini, et Barcinonensis. Valentinum prius coaluit. Quippe Hieronymus Domeneccus Valentinæ Ecclesiæ Canonicus, societatem amplexus Parmæ, nihil habebat antiquius, quam ut eidem domicilium in patria poneret. Ad ejus voluntatem cum accessissent studia civitatis, concionibus Araozii, atque exemplis incitata; monitus Ignatius aliquot ex Urbe Socios misit, qui collegium recens implerent ornarentque. Collegio domus Professo-

Initia Collegii Conimbricensis,

Valentini,

rum accessit anno MDLXXIX. Barcinonense, civium liberalitate ac benevolentia inchoatum est anno MDXLV, auctum MDLIII, perfectum MDLXII. Barcinonensis,

Eadem tempestate ortum est Collegium Complutense, qua Valentinum. P. Franciscus Villanova Conimbricam Roma missus et hærere Compluti, valetudinis ac studiorum causa coactus, movit omnibus admirationem insigni patientia, studio religiosæ paupertatis, et rerum humanarum neglectu. His virtutibus cum universorum sibi et Societati voluntates conciliasset, de instituendo Societatis collegio actum est. Ejus rei causa profecti Conimbrica Socii, palæstram et virtutis et litterarum aperuerunt. Collegium anno MDLXXVII stabilivit majoribus subsidiis Maria Mendoza, ejusque fundati nomen ac titulum est consecuta. Præter Valentiam, Barcinonem, et Complutum, civitates aliæ collegia certatim flagitabant. Quacumque faciebat iter Araozius, hanc urbibus injiciebat cupiditatem, et omnia divino inflammabat igne. Concionabatur frequentissimo cœtu, et orationis facultati par vitæ respondebat integritas. Acciditque lepidum quiddam ex quo Societatis fama enituit. Verba fecerat in primario civitatis templo. Post concionem æditui pro more summam pecuniæ non contemnendam obtulerunt. Ille vero prorsus abnuere. Instare isti validius. Quo magis urgebant, eo vehementius repudiare Araozius. Utrimque preces, clamor, et amica et Complutensis.

altercatio. Ad strepitum accurrit populus, mali quidpiam suspicans. At, re cognita, non sine laude concionatoris abscessit. Tantam habet apud omnes gratuito impensus labor approbationem! Sed nulla re felicius ad hominum salutem proficiebat, quam exercendis et sanandis mentibus per divinarum rerum contemplationem, certo dispositam ordine ac methodo per S. Ignatium; qui eadem arte Romam feliciter excolebat, ac variis operibus pietatis ornabat.

Varia opera pietatis per S. Ignatium instituta.

E Judæis, qui plurimi sunt Romæ, veritatis lucem nonnulli aspexerant, ex quo Societas populo mysteria Fidei explicabat. Egestatis metus obstabat, ne palam profiterentur, quod credebant taciti. Vitæ brevis solicitudo sempiternæ vitæ curam opprimebat. Domum suam B. Pater illis obtulit, qui dare Christo nomen vellent. Multi conditionem accepere; quorum numerus cum in dies augeretur, perfecit Ignatius, ut fundarentur ædes, ubi Judæi, baptismatis candidatis, erudirentur : ac ne quos inopia retardaret, impetravit a Pontifice, ut qui Christiani fierent, iis manerent patrimonia, et hæreditatum cernendarum jus : denique ut bona fænore parta, si modo certus dominus, cui restitui deberent, non extaret, iisdem adjudicarentur.

Consuluit etiam imbecillæ puerorum ætati; quæ parentibus orbata, misere vagabatur, otio vitiisque infesta. Geminas aperuit domos, alteram

pueris, puellis alteram, easque certis legibus instruxit. Virginibus vero, quarum pudicitia educationis vitio vel egestate periclitabatur, S. Catharinæ cœnobium paravit. Plus habuit negotii, ut receptum facilem pararet plerisque mulieribus, quæstum e flagitio petere solitis. Erat illis quidem, quas pudor et pœnitentia subibat, apertum monasterium B. Magdalenæ : sed ita, si religiosam amplecti vitam, et solitudinem vellent; quæ lex plurimas deterrebat. Placuit Ignatio instituere domum, ista conditione liberam. Consilium Romanis proceribus aperuit. Probarunt omnes; operi manum admovebat nemo : donec ipse prolatis in medium, quos e domestica penuria corraserat, nummis aliquot, *si nemo, inquit, præire gaudet, saltem præeuntem sequi me atque adjuvare non recuset.* Brevi ædes amplæ patuerunt. Conquirebat ipse miseras, et per ora populi deducebat. Cumque nonnulli dictitarent, operam in iis perdi, quæ scilicet vix unquam penitus ac serio resipiscerent. *Ego vero, aiebat, operam bene collocatam arbitror, si vel unius noctis flagitia possum impedire.*

Idem cum ægrotos in urbe viseret frequens, et nosocomia lustraret, animadvertit complures extrema dumtaxat vitæ fugientis hora sacerdotem arcessere; tumque cogitare de pœnitentia, cum locum vix ullum, aut certe vix opportunum pœnitentiæ gravitas morbi relinquit. Effecit igitur, ut renovaretur decretum vetus, quo Innocentius III

edixerat, ne prius ægris corporibus medicus, quam animis Sacerdos medicinam adhiberet. Quo tamen facultas daretur major hujus edicti observandi : Pontifex, auctore eodem Ignatio, illud ita temperavit, ut liceret medico ægrum dumtaxat semel iterumque prius visere, quam Sacerdos arcessitus fuisset. Majus quiddam ad religionis in Italia decus et incolumitatem molitus est. Hæreseos virus in hanc veritatis Catholicæ arcem insinuare se tentabat. Suasit Pontifici B. Pater, ut Romæ sacrum quoddam tribunal institueretur e delectis Cardinalibus, qui excubarent in omnem partem, ne qua pestis, ad labefactandam Fidei integritatem subreperet.

Annus Christi 1544 : Societatis 5.

Non segnius in tutanda per Germaniam religionis ac morum sanctimonia laborabant Socii ab Ignatio pridem missi. Jaius doctorum Ingolstadiensium hortatu ac precibus, publice docere compulsus, eam implebat cum dignitate cathedram, quam Joannes Eckius, Ecclesiæ Catholicæ defensor egregius, vacuam, nuper morte reliquerat. Retinere Jaium Ingolstadiensis Academia statuerat, eique opima cum ordinariæ cathedræ honore stipendia Doctoris offerebant. Illorum vota constantissime respuit. Quare litteras ad Pontificem Maximum pro eo in perpetuum conservando dederunt. Pontifex ejus operam existimans utilio-

Ingolstadii Jaius,

rem fore plerisque civitatibus, ubi periculi plus erat, et ubi a Præsulibus certatim expetebatur; illum Othoni Truchsesio, Augustano Episcopo præ ceteris instanti concessit: quo jubente apud Aistetensem Episcopum ad duos menses substitit, ingenti totius diœceseos commodo. Inde accitus ab eodem Othone Dilingam, tanto utilius in curam tuendæ religionis incubuit, quanto promptiorem ad remedia quælibet adhibenda Præsulem, et populum ad usurpanda paratiorem offendit. Non diu Dilingæ consederat, cum Salisburgum flagitante Archiepiscopo Salisburgensi, Ducis Bavariæ fratre, proficiscendum fuit. Convocabatur eo in oppido Provinciale Concilium, cui Augustanum et Aistetensem præsules interesse oportebat. In eo quæcumque disceptata sunt, cum Jaio fuere communicata; qui etiam id momenti longe maximi effecit, ut promitterent Antistites, fore ut nihil injussu Romani Pontificis de religione in civilibus conventibus ageretur; discederentque omnes parati cuncta potius perferre, quam ullum pestiferæ novitati aditum dare. Lætus tam præclaro consensu Jaius Dilingam repetit, ac diebus non multis interpositis, Wormatiam evocatur ab Augustano Episcopo ad synodum habendam in hac Urbe, cui pariter ipse postea cum P. Bobadilla interfuit.

Dilingæ, Salisburgi, et Wormatiæ cum Bobadilla.

Erat Nicolaus Bobadilla Jaio simillimus, quod spectat ardorem tuendæ religionis; cetera fere dissimilis. Indoles Jaii mitis et benigna; Bo-

badillæ, acris et actuosa; hunc perspectum attentius et exploratum æstimares; illum uno alterove congressu cognitum, etiam diligeres. Bobadilla consiliis, quæ recta viderentur, moram opponi ferebat ægerrime: Jaius matura et cauta consilia malebat, quam nimis maturata et ambigua. Norat Jaius in loco tacere ac dissimulare; Bobadilla, ut simulare, ita dissimulare nihil norat. Ceterum virtus, quod erat in Jaio bonis cumulaverat; quod erat mendosum in Bobadilla, emendaverat. Quamobrem ex hujus perspicaci et præfervida indole magnas quoque utilitates in Germania religio cepit; primum Æniponte *, ubi nobilitatem ac populum pietate confirmavit; dein Viennæ, ubi cum Ferdinando rege de negotiis gravissimis multa privatim tractavit, et publicis concionibus sacrisque lectionibus, rem præclare gessit: nusquam vero præclarius, quam in celebri concertatione, ad quam provocatus fuerat ab aulico dynasta Lutherano. Descensum est in arenam, datis a Rege judicibus; id enim petierat adversarius, et spoponderat, si arbitris illis vinceretur, nihil futurum in se moræ, quominus ad relictas catholicorum partes rediret. Cessit veritati vanitas; sapienti et bene fundata vetustati novitas male nixa; cujus quinquaginta minimum errores, alias aliis tetriores, Bobadilla in oratione ac responsis adversarii deprehendit. Lutheri discipulus calculis omnium damnatus est. Et quamvis acceptæ cladis pudore

* *anno* 1542.

aliquamdiu in obstinatione perstiterit, ad extremum tamen manus dedit. Victorem, quem ea disputatio longe lateque celebrabat, Bobadillam Nuncius Apostolicus Norimbergam secum duxit, Bobadilla ad conventum in ea urbe propediem habendum, Norimbergæ, in quo metus erat, ne quid contra religionem decerneretur. Totam civitatem pervagatus, admonendo præsertim clero et cohortandis sacerdotibus, quos duces fere populus sequitur, vehementer Christianam rem juvit. Instabat alter conventus Spiræ, Spiræ. Episcopus Passaviensis, quem Rex Ferdinandus eo miserat, comitem sibi Bobadillam adscivit, quippe catholicis juxta et Protestantibus, bene notum. Spem præsulis non fefellit, ac solertia consiliique celeritate, magno publicæ rei adjumento fuit. Mox e Spirensi Conventu Passavium, Passavii, Episcopo invitante, discedens, universam lustravit Diœcesim, et plurima pie utiliterque constituit. Viennam paulo post, quo Ferdinandus se contulerat, Viennæ reversus, præter concionum labores, curavit etiam pastorum, doctorumque mores ad veterem Ecclesiæ disciplinam revocandos : rogatusque persæpe a Rege sententiam de rebus Fidei gravissimis, non minori libertate, quam eruditione respondit. Invitatus ab eodem Ferdinando ad et Wormatiæ Wormatiæ conventum, et nomine Pontificis adesse in Comitiis. jussus, advolavit. Eo vires omnes in illis Wormatiensibus comitiis, et consilia referebant Lutherani, ut Concilium quoddam Germanicum cogeretur,

ubi non tam de publica re imperii, quam de religionis negotio sola Germania decideret. Omni ope Jaius et Bobadilla contenderunt, ac demum consecuti sunt, id ne fieret, neve in eorum sententiam perduceretur Cæsar, qui aderat cum Ferdinando Fratre, Germanisque proceribus; ac demum ne quid contra Romanam Ecclesiam statueretur. Jaius vero Antistitibus magnopere auctor fuit, ut in sua quisque diœcesi contubernia, e lectissimis adolescentibus conflarent, qui sacris eruditi litteris, ac theologica instructi scientia, in pastores, custodesque Christianæ plebis succrescerent. Consilium hoc discedenti ex Urbe Jaio suggesserat Ignatius; et ab Episcopis omnibus probatum, a plerisque deinde susceptum fuit. Dimisso conventu Wormatiensi, Jaius ad concilium Tridentinum profectus; Bobadilla Ferdinandum, cui percarus erat, in aulam et castra secutus est.

Sic Europæ magnam partem Societas implebat. Per Germaniam sparsa, per Galliam, Lusitaniam, Hispaniam, Hiberniam; ac demum per Italiam, ubi Ignatius Romæ; Paschasius Fulginii; Mutinæ Salmeron; Lainius Venetiis, Bassani, Brixiæ et Patavii; alii Faventiæ, Parmæ, Placentiæ ac Neapoli, partes quisque suas sedulo administrabant. Fere solus erat in Asia Xaverius; sed unus par multis erat. Acris illi et assidua concertatio cum Brachmanis. Sunt isti doctores Indorum et sæpe sacerdotes; primumque sibi vindicant

nobilitatis gradum, oriundi videlicet, ut glorian- tur, ex uno e tribus præcipuis Indiæ Numinibus; Bramam ipsum vocant. Itaque tamquam Divino creti sanguine, et semidei a populo coluntur. Auget venerationem ratio vivendi austera in speciem, et horrida. Hanc austeritatis larvam prætendunt maximis sceleribus; et infamis licentiæ vetus ac publicum jus adepti, dum infra pecudum sortem se abjiciunt, ac volutantur in cœno libidinum, ab ipsis Regibus Deorum instar adorantur. Brachmanum doctrina sanctior non erat, quam vita. Illorum errores, quibus interpolandis ac vendendis quæstum sibi, et fucum popello faciebant, luculentis rationibus Xaverius refutavit. Nec rationibus tantum et argumentis, sed etiam miraculis. Quatuor mortuos ad vitam ab eo tunc revocatos produnt Acta, rite conscripta cum inter Sanctos relatus est. Primum nominant Antonium Mirandam, quo ad explicandam barbaris divinam legem administro utebatur, quique appetitus venenati serpentis immedicabili morsu fuerat. Alter in puteum lapsus infans narratur, ac matri, filiolum extinctum perdite lugenti, redditus. De aliis duobus, adolescente ac puella, nihil peculiare in iisdem Actis traditur; itemque de aliis duobus per pueros a Xaverio missos, ejus rosario adhibito, ad vitam revocatis. Id unum commemoratur, tantam esse miraculorum ab illo in ora dumtaxat Piscaria editorum multitudinem, ut ex iis ingens componi

Brachmanes a F. Xaverio convicti,

doctrina et miraculis.

volumen posset. Hinc illi apud Paravas ac reliquam Indiam, nomen Sancti Patris, et Apostoli, passim inditum, quod illi Sedis Apostolicæ auctoritas adfirmavit. Miraculis ac doctrinæ consentiebat vita. Quam austeritatem verbis et ad populum jactabant Brachmanes, hanc factis domi perinde ac foris præstabat Xaverius; se quidem ipse testatur tot ærumnis laboribusque sæpe fractum ac debilitatum fuisse, ut iis ferendis par mortalis natura, nisi Numinis singulari fulta præsidio nulla foret. His leniendis affluebant cœlestes deliciæ, tanta ubertate, ut eas vicissim capere pectus mortale non posset.

Xaverius Goam redux;

Jam annum amplius inter Paravas consumpserat. Crescebat in dies messis, et Sacerdos unus tantam sufferre molem non poterat. Statuit igitur Goam redire, tum ut operis Evangelici adjutores quæreret; tum etiam ut Goanum ad Seminarium deduceret lectos ex ora Piscaria juvenes bonæ indolis, qui litteris exculti redirent postea in patriam, et popularibus suis auxilio essent. Venerant Goam, interim dum Paravas excolebat, Patres Camers et Mansilla. Cum ipso profecti Olisippone, sed in Mozambico inter ægrotos vectores demorati, paulo tardius Indiam attigerant. Ibi dabant operam ambo erudiendis Seminarii Goani pueris. Xaverius P. Paulo Camerti provinciam regendi Seminarii dedit, donec alii ex Europa, quos per litteras arcessivit. magistri puerorum advenirent.

Franciscum vero Mansillam secum in oram Piscariam abduxit. Crevit postea Seminarium Regis liberalitate, ac pietate civium : Sanctæ Fidei nomen illi factum, propagandæ videlicet Fidei catholicæ nato. Mox ædes amplæ prioribus, multitudini alumnorum jam angustis, additæ, iisque datum collegii nomen ac forma. Cujus templum ingens cum Gentium doctori Apostolo Paulo dedicatum fuisset, collegium ipsum Sancti Pauli appellationem sortitum est; ab eoque Societatis in India Patres habuerunt id nominis, ut Patres Sancti Pauli vulgo dicerentur. et in oram Piscariam;

Xaverius ad oram Piscariam cum Francisco Mansilla, et strenuis aliquot operariis reversus, excurrit longe in regionis interiora, et ignotum quoddam lustravit regnum, cujus nomen in suis litteris ne ipse quidem explicat. Inde illum redire cito in oram Piscariam compulit immanitas Badagarum : natio Regni Bisnagarensis est, scelerati prædones, rapto vivere assueti, quibus perpetuum inter sese et cum vicinis bellum. Fecerant impetum in Paravas, et oram Piscariam late pervastantes, omnia igne ferroque deleverant. Paravæ, relictis pagis, in scopulos et steriles insulas profugerant. Sed eos illuc hostis, omnibus Badagis acrior, sequebatur fames, et plurimos quotidie absumebat. Xaverius in occiduam promontorii Comorini partem, quam Lusitani frequentiores incolebant, transgressus, viginti naviculas annona Paravis opitulatur.

refertas deduxit; enectis fame reddidit vitam; ac gentem, Badagis jam remotis, in pagos suos restituit.

Transit ad oram Travancoridis.

Ardebat desiderio Evangelii regnis Madurensi, Bisnagareno, Ginghiano, et aliis Coromandeliæ oræ, inferendi. Hæc illum ab eo consilio ratio deduxit, quod neophytos in iis regnis contra vim et arma ethnicorum tueri nemo posset. Ergo ad oram Comorini promontorii, occidenti soli objectam, curas operamque vertit, ubi religionem pietas et arma Lusitanorum tutabantur. Primum occurrit regnum Travancoris, quod ab apice Comorini Goam versus secundum mare porrigitur ad millia passuum octoginta. Paucis diebus cum ingens mortalium numerus veritatis lucem e diuturna nocte aspexisset, sacras ædes quinque et quadraginta condidit, fana idolorum non pauciora disturbavit, ac simulacra confregit. Ipse, mensis unius spatio, millia ethnicorum decem a se baptizata scribit; ac sæpe uno die integrum frequentemque pagum salutari fonte mersum.

Hic primum clarius apparuit linguarum donum Apostolico viro divinitus concessum. Vernaculo barbarorum sermone, quem numquam didicerat, commode utebatur, neque interpretis operam desiderabat. Ad eum audiendum quinque sexve hominum millia concurrebant, quos ille in patentibus campis sæpe insidens arbori erudiebat. Ubi verba satis non erant, adhibebat miracula.

Præter sanatum omne morborum genus, duas mulieres ac viros totidem e tumuli tenebris in lucem revocavit. Restituta viris vita insigne quiddam habet, nam de mulieribus obscurior est fama. Culanum, urbs Travancoris maritima, divinam legem ab eo per dies aliquot audierat. Laudabant oppidani dicentem, et prædicari vera fatebantur : nihilominus in errore ac vitiis hærebant. Miseratus obstinationem, oculos ardentemque vultum media in concione ad cœlum sustulit, Divinam obsecrans bonitatem, ut quorum aures verberabat, inani voce, illorum corda cœlestis gratiæ potentissimis telis feriret. Sensit auditas preces, et vocem oculosque ad frequentem, qui attonitus circumstabat, populum referens : Agite, inquit, quonam argumento, quo signo, probari vobis divinæ legis veritatem vultis? Significate; petite quodcumque placuerit : effectum dabo. Hæc maxime dicenti venit in mentem mortuum ab illis pridie sepultum esse. Ite, exclamat ardore sacro succensus, ite, et quod heri cadaver humo infodistis, refodite : sed unusquisque diligenter advertat exploretque verumne cadaver et spoliatum vita sit. Concurrunt certatim, tumulum recludunt, cadaver non modo exanimum, sed jam gravi odore ac sanie putrida manare vident. Sequitur Xaverius, et positis genibus Deum brevi et attenta prece obtestatus, surgit; mortuumque surgere ac testimonium tribuere veritati jubet. Erigit se cadaver sua sponte,

Varia adhibet miracula.

nec vivum dumtaxat, sed valens et robustum; consistit in pedes, ingreditur, loquitur. Omnes stupore ac metu defixi, voce magna conclamant, Deum Christianorum verum esse; mox ad Apostoli genua provoluti pertinaciæ veniam orant, baptismumque supplices postulant. Indus ipse donatus recenti vita, divinæ potentiæ triumphum quemdam per vicina oppida circumferre cepit; ejusque aspectus religionis veritatem innumeris ethnicis efficacius omni concione persuasit.

Alterius mortui ad vitam revocati simillima est historia illi, quam ad urbem Naim contigisse annales Evangelici tradunt. Obierat ante horas amplius quatuor et viginti adolescens, pestilenti confectus febre, in oppido ejusdem oræ Travancoridis. Efferebatur a mœstis parentibus, prosequente flebili et numeroso comitatu. Occurrit forte Xaverius. Ad ejus, quasi ad benefici conspectum sideris, mœrorem ponunt parentes; affusi genibus, reddi sibi filium flagitant, utque illum permoveant magis, cadaver frigidum ante pedes provolvunt. Simul turba omnis humi procumbens, ut vivere adolescentem velit, ut jubeat, rogant : Nihil difficile Deo Christianorum esse. Vir sanctus, illorum fide, et comploratione motus, opem Numinis supplici prece poscit, supra cadaver signum crucis ducit manu, aqua consecrata frigidos conspergit artus, denique adolescentem dextra prehendens, vivum valentemque parentibus redonat. Qui ut

perennem tam illustris facti memoriam ad posteros propagarent, crucem præaltam in eo ipso, ubi gesta res fuerat, loco erexerunt, et ad eam itare precandi causa consueverant. Reliquus populus Christiana suscepit sacra.

Annus Christi 1545 : Societatis 6.

Recte monet Apostolus * *signa infidelibus data* esse, *non fidelibus*. Erudiri miraculis in India barbaros oportuit; Christianos in Germania decuit ratione ac fide convinci. Hoc vero strenue præter ceteros tentabat Petrus Canisius, primus e Germanis in Societatem adscriptus Coloniæ. Ad populum verba sæpissime de divinis rebus Coloniæ faciebat; Divi Pauli epistolas, et Evangelia theologis explicabat; simul opera sanctorum Patrum, quo telo nullum est contra hæresim validius, unum in corpus pleraque colligebat, et spargenda in vulgus curabat. Hæc agentem, quanta valeret ad res gerendas solertia et felicitate, ostendit gravissimi successus negotii. Hermannus, Coloniensis antistes, larvam pietatis, quam ad tempus sumpserat, exuit; utque liberius hæresim induceret in urbem suam, faciendum ante omnia putavit, ut inde Societatem ejiceret, cui convenire cum Luthero numquam posse intelligebat. Querebatur apud Senatores novam familiam, ignotum hominum peregrinorum genus, irrepsisse Coloniam, et Collegium conflasse, nullo jure, nulla

* 1. *Cor.* 14.

Petri Canisii felix Coloniæ labor.

publica auctoritate. Senatus, cui erat explorata Sociorum probitas et modestia, et qui magnum contra molitiones antistitis præsidium in eorum pietate ac doctrina paratum sentiebat, id unum edixit : ne religioso ritu viverent, utque a se mutuo disjuncti, separatis in ædibus habitarent. Pulsos in perpetuum antistes volebat; nihilominus in præsentia factum operæ pretium putavit, quod eos ita distraxisset; nempe singulos, occasione data, facilius aggressurus. Socii, ne præsuli aut Senatui ullam ad reprehendendum ansam præberent, taciti parumper divisis in contuberniis, velut a se invicem divulsi, perstitere. Quorum silentio ac timore usus in rem suam Archiepiscopus, laxas magistris hæreseos habenas permisit. Lacerabant gregem lupi, ovium pelle tecti, et ab ipsomet acciti laudatique pastore. Ad eorum voces infremuit civitas egregie catholica. Clerus, Academia, proceres, cum populo, ad propulsandos religionis hostes conspirarunt. Dum remedia surgenti quæruntur malo, placuit implorare, legatione missa, opem tum Imperatoris Caroli V, qui Protestantium audaciam armis felicibus perdomabat; tum Leodiensis Episcopi Georgii Austriaci, qui primus Coloniensis Archiepiscopi suffraganeus, et Maximiliani I filius, causam religionis libenter amplecti debere, ac tueri facile posse, merito credebatur. Gemina tanti ponderis legatio communibus Cleri et Academiæ suffragiis Canisio delata fuit. Auditus

benigne ab Episcopo et Cæsare, Coloniam victor est reversus; nec ita multo post infelix Hermannus, a Pontifice Romano percussus anathemate, mox Archiepiscopi et Electoris dignitate spoliatus est. Lætos, re bene per Canisium gesta, Colonienses gravis incessit metus, ne illum ipsum amitterent. Dum enim ad Cæsarem pergit, Othonem Truchsesium, Cardinalem Augustanum, Wormatiæ, Ulmæque convenerat ex itinere. Qui, sapientiam viri et eruditionem admiratus, illum in amplissimum Concilii Tridentini theatrum producere statuit, licet annos sex dumtaxat et viginti natum; sociumque addere P. Claudio Jaio, quem jam Tridentum miserat theologi sui nomine insignitum. Frustra Colonienses egerunt apud Cardinalem, frustra apud Ignatium, ut ne ipsis Canisius eriperetur. Perseveravit in sententia, probante Ignatio, Cardinalis et publicum Ecclesiæ totius in Concilio bonum, unius civitatis, aut diœceseos utilitati præferendum esse duxit.

Bobadillæ labores et ærumnæ.

Bobadillam aliqui pariter Antistites ad Concilium idem Tridentinum destinabant. Detinuit illum Cæsar, detinuit Ferdinandus, nec non plurimi aulæ proceres, quorum confessiones excipiebat; denique ipsi copiarum, quæ in Protestantes parabantur, ductores, hominem impigrum et laboriosum adesse militibus cupiebant. Romanus Pontifex cum fortissimo Italorum exercitu Ducem Octavium et Alexandrum Cardinalem Farnesios

ad Cæsarem miserat. Inchoato bello, dum miles ferro strenue rem gerit, Bobadilla religiosis armis, egregie est usus. Hìc animos sacramentis, illic etiam corpora, quacumque posset ope, levabat. Ipsum Cardinalis Farnesius Italorum nosocomio præfecerat, quo crebri e quotidianis præliis inferebantur saucii. E nosocomio interdum procurrebat mediam in aciem, et honesta sæpe vulnera referebat. Morbo inter hæc tentatus, pestilentia ictus, a grassatoribus affectus plagis et spoliatus, singulari Numinis providentia sospes et incolumis emersit; vitamque restitutam ac valetudinem Passavii, Ratisbonæ, Augustæ, ac finitimis in oppidis, impendit ad firmandam et recreandam religionem : ubique vigil, ubique præsens, ac tamquam verus Apostolus (ut de eo Viennensis scribebat Antistes) cuncta perlustrans, cumque hostibus pietatis exemplo ac stylo pugnans. Tot laudes insigni cumulavit humilitate, cum oblatum a Rege Ferdinando Episcopatum non accepit. His laboribus et gloriosis ærumnis impeditus est, quominus Tridentino Concilio interesset cum aliis Patribus, qui jam eo convenerant.

Theologi S.J. ad Concilium Tridentinum missi.

Hic novum et illustrius aperitur theatrum, in quo vix sexennis, Societas adultæ et emeritæ virtutis, ac doctrinæ specimen edidit. Convenerat Christianus Orbis Tridentum, anno MDXLV a Paulo III Pontifice Maximo vocatus, ad hæresum monstra, quæ Christi ovile lacerabant, oppri-

menda. Vix ullus post Ecclesiam conditam cætus illustrior extitit, sive Præsulum ac Theologorum, qui confluxere, sapientiam, probitatem, doctrinamque spectes; sive rerum, quæ definiendæ proponebantur, numerum et gravitatem (non enim de uno quodam capite Catholicæ Fidei, ut olim in Nicæna, Constantinopolitana, Chalcedonensi, aliisque Synodis, sed de omnibus fere agebatur); sive demum difficultates, quas conjuratus cum hæresi tartarus, quas Regum ac Principum molestæ altercationes, operi tanto per tot annos objecerunt. Quis in hoc amplissimo consessu locum esse Societati posse crederet, quæ vix e cunis emerserat? Nisi forte hoc illi concessum divinitus est, ut præsto sit, ubicumque agitur de hæresi debellanda, et Sedis Apostolicæ auctoritate propugnanda. Idcirco natam Summi Pontifices agnoverunt: idque sentiens Paulus III tres a Fundatore Societatis postulavit, qui Pontificiorum theologorum titulo insigniti Concilio interessent. Ignatius, Suorum optimus æstimator, PP. Jacobum Lainium, Alphonsum Salmeronem, et Petrum Fabrum, nominavit. Magnopere optabat Cardinalis Petrus Pacciecus, ut ipse Ignatius hanc operam publicæ rei Christianæ daret, cujus prudentiam singularem summo usui fore judicabat ad tractandas mentes, componendasque tot nationum studiis ac judiciis discrepantium sententias; ad suggerenda, quæ forent opus, consilia, et vias rerum

agendarum aperiendas, quæ dos Ignatii peculiaris ac virtus censebatur: uti hoc ipso anno MDXLV intellectum fuerat, quo pacem et concordiam inter Joannem Lusitaniæ Regem, et Romanum Pontificem conciliaverat, invento negotii sane difficilis exitu, qui satis utrique parti faceret. Interesse B. Patrem Concilio Socii omnes peræque cupiebant, ut suos in opere tanti momenti regeret præsens, iisque spiritum sapientiæ cœlestis quo abundabat, coram afflaret. Verum ille, totus in absolvendis Constitutionibus, in admittendis ordinandisque Collegiis, et corpore Societatis formando, non poterat sine illius summo dispendio, abesse Roma. Nihilominus invenit quo pacto, Urbe non relicta, suis quodammodo adesset Tridenti. Eos prosecutus est primum precibus ac sacrificiis, deinde vero monitis prudentissimis discedentes instruxit. Quippe tanti negotii gravitatem considerans, in quo agebatur summa religionis, illud etiam videbat, primam hanc esse Societatis quasi periclitationem in omnium gentium luce faciendam, quarum flos uno collectus in loco haberetur. Qualis conspecta Tridenti foret, talem in Orbe terrarum reliquo existimandam. Hæc secum reputans brevi scripto complexus est, quid præstandum ipsis, quid cavendum censeret; quam adhibere prudentiam deberent in sententia dicenda; quam adversus Concilii Patres venerationem; quam navare proximis operam, si quid otii

daretur; quas privatim colere virtutes, et officia religiosæ vitæ ac perfectionis. Ejus accensi cohortatione, et monitis instructi, votis optimi parentis cumulate responderunt. Præter istos qui erant a S. Ignatio nominati, alii quoque de Societate ad Synodum aliunde missi fuerunt: Claudius Jaius, ab Augustano Cardinali, Othone Truchsesio, vir apprime doctus et in conciliandis hæreticis fortior nescires, an suavior; Petrus Canisius ab eodem Cardinali Augustano: Joannes Cavillonius, ab Alberto Duce Bavariæ. Primus omnium Jaius Tridentum attigit, quem proxime secutus est Cavillonius. Accessere Lainius et Salmeron paulo post Cavillonium*; seriús adfuit, ob gravissima ** Maio* 1546. quæ illum inter Germanos distinebant negotia, Canisius*. Joannem Polancum Lainius, repetens ** anno* 1547. Synodum, instauratam anno MDLXII post obitum S. Ignatii, comitem sibi legit, usus potestate facta Præpositis Generalibus, Theologos sui Ordinis aliquot ad Concilium deducendi.

P. Petrus Faber ab Ignatio, cum PP. Jaio et Salmerone designatus, Concilio non interfuit. Tridentum ex Hispania properabat, cum ægrotus Romam adveniens, in B. Patris complexu anno sequenti decessit. Ægre dimissus ab Hispanis fuerat: tam utilis, ac prope necessaria viri virtus, eruditio, prudentia, videbatur! Nec magis utilem navabat operam populo, quam ceteris in Hispania Sociis, quos tuebatur auctoritate, consilio regebat, **Petrus Faber cum Sociis in Hispania.**

accendebat exemplo. Multi satis mirari non poterant, quod cum omni mortalium genere tam modeste, tam innocenter et sine offensione versarentur; nec dubitavit Melchior Canus, celebris ille Theologus, belle jocari : patres Societatis Jesu herbam quamdam secum solitos circumferre, quæ vim haberet coercendæ libidinis; eoque munitos antidoto in aula, et inter feminarum greges impune versari. Ea vox ad aures Philippi Principis pervenit. Qui rei novitate permotus, misit unum ex aulicis sciscitatum ex P. Araozio, quod herbæ genus illud esset? Promisit Araozius se dicturum, modo Princeps nemini arcanum evulgaret. Accensus cognoscendi cupiditate aulicus, sancte pollicetur et suo, et Principis nomine, rem nulli proditum iri. Tum Araozius : Non modo contra libidinem valet hæc herba, sed præsentissimum est adversus omnia flagitia præsidium. Urgenti aulico, et moram ægre ferenti : *Herba hæc*, ait, *Timor Domini nuncupatur. Is eas omnes, quas enumeravi virtutes, ac multo etiam plures, continet.* Hæc responsio pervulgata secundissimis excepta est auribus, et concepta de virtute Patrum opinio manavit in dies latius ad multorum utilitatem. Apostolicus Nuntius, Episcopi Salmanticensis, et Calaguritanus, præcipua pars aulæ ac nobilitatis, Fabro rectore morum et conscientiæ judice utebantur. Jacobus vero Tavora, Summus in hæreticos Quæsitor, et alii hujus sacri tribunalis

censores et administri Societatem amplissimis suis judiciis cohonestarunt. Idem erat de illa hominum sermo Madriti, ubi Faber ad Caroli filios verba non semel fecit; idem Toleti, quo vir Apostolicus excurrens, prolixam Toletanorum voluntatem de collegio fundando, confirmavit. Pari ardore, pari fructu Araozius, Complutum, Barcinonem, Valentiam lustravit, ac fusis per eas urbes Sociis, novos stimulos ad omnem religiosæ virtutis laudem subjecit. In primis visendum sibi putavit Franciscum Borgiam, Gandiæ Ducem, a quo postulatum collegium norat, et sex e Societate ad illud inchoandum ipsi ab Ignatio concessos. Eorum præses P. Andreas Oviedus primam operi manum admovit hoc anno; uti et collegio Vallisoletano Araozius : supremam utrique domicilio sequens annus imposuit.

Eumdem cursum, quem anno superiori memoravimus, res nostræ tenebant in Lusitania, in Gallia, in Belgio, et Italia : eadem ad divinam gloriam, et proximorum salutem exercitationes vigebant : id quod semel observasse sufficiet, ne rebus iisdem repetendis, lectorum otium, et operis instituti brevitatem oneremus. Itaque sicubi nihil novi uno pluribusve annis occurret, pergemus taciti, et alio festinabimus. Tacite plura prætereuntur.

In Asia novus semper Xaverium labor, nova quotidie pericula exercebant. Geminum illi hostem ora Piscaria objecit, Brachmanes, et Badagas.

A Brachmanis conducti sicarii sæpe ipsum sagittis configere tentarunt. Nulla ictum pertulit, præter unam, qua leviter est vulneratus : credo ut non careret gloria fusi pro Christo sanguinis, licet ejus vitam ad multorum salutem Providentia Divina servatam voluerit.

Exercitus in fugam actus a Xaverio.

A Badagis non uni tantum Xaverio, sed religioni, ac neophytis omnibus, exitium parabatur. Illecti præda, quam anno superiori a Paravis corraserant, et insito Christiani nominis odio stimulati, per angustas montium fauces in Travancoris regnum irrumpunt; non palabundi ut prius, et agmine incomposito, sed armis, consilio et numero validi. Xaverius crucem manu quassans, prorumpit ante prima hostium signa. Mox tonanti voce, fulgurantibus oculis impietatem et injustitiam exprobrat, jubet stare; ac minas, ceu victor, intentat. Hærent attoniti; mox totus exercitus turbatis ordinibus in fugam effusus hac illac sese præcipitat. Rex Travancoris, qui tumultuariam et subitariam manum hostibus opposuerat, arcte Xaverium complexus regni sui vindicem appellavit, et amplissimam profitendæ legis Christianæ potestatem suis fecit. Manavit per Indiam late fama, et incredibilis nationum vel remotissimarum ad virum Dei, et ad baptismum concursus est factus.

Eluxit potissimum hic ardor in incolis Insulæ Manariæ, (hæc inter Ceylanum et oram Piscariam

In Manaria Neophytorum fortitudo.

jacet). Sed Jafanapatani rex, quæ pars est septentrionalis Insulæ Ceylani, idemque Manariæ dominus, odio religionis flagrans; cum Manarienses auctore Xaverio christiana suscepisse sacra cognovisset, immissis militibus neophytos barbara crudelitate vexabat. Nemo ex tanto numero vitam redimere vel una vocula sustinuit. Certatim impio ferro pectora cervicesque præbuerunt. Ipsimet parentes parvulos liberos obtulere satellitibus, ut qui nondum voce poterant, saltem sanguine suo et morte Christum confiterentur. Lætior, et uberior e tanta strage Fides, ut arbor succisis aliquot ramis, effloruit. Vidit tyrannus receptum atque adoratum in aula sua Christum et ingemuit. Sed exarsit violentius barbari furor, cum filium primogenitum superstitionibus avitis nuntium remisisse comperit; nec dubitavit adolescentem ornatissimum, populi delicias, familiæ Regiæ spem, subjicere gladio carnificis, et exsangue corpus in agros projectum feris prædam dare. Effugit impias Tyranni manus ejus soror, Fidem Christi pariter amplexa, et cum filio ac nepote ad Lusitanos se recepit. Xaverius perfidi Regis impietatem castigandam arbitratus, eumdemque, si veniret in Lusitanorum potestatem, converti ad fidem posse non desperans, propere Goam contendit. Nec difficile Proregem adduxit ad bellum capessendum tam utile religioni. Objectum fuit aliquid in præsens moræ præclaris Xaverii consiliis, dilatumque

bellum, ut majori cum clade impii Regis postea gereretur: quemadmodum Xaverius prædixerat.

Xaverius Meliaporam petit,

Interim ipse novam expeditionem animo versans, exquirere divinam voluntatem, et opem implorare statuit; sequestro atque interprete B. Thoma Apostolo, Christianæ religionis primo in India satore, cujus in fidem et patrocinium se præcipue contulerat. Ergo in urbem illi consecratam, ejusque nomine ac sacris reliquiis insignitam, proficiscitur. Meliapora, sive Fanum S. Thomæ, vernaculum urbis nomen est. Ibi dies aliquot intentius præcando consumpsit, idque ferme noctu, prorepens in templum. Orantem spectris terribilibus deterrere conati dæmones cum nihil proficerent, verberibus adeo male mulctarunt, Deo servi sui constantiam ita probante, ut æger ac toto corpore confractus diu jacuerit. Morem nihilosecius pristinum orandi tenuit, nihil ausis animarum hostibus aliud nisi murmure innocenti, aut inanibus interdum ludibriis, obstrepere. At iisdem vera et gravia damna vir Apostolicus intulit, vindicatis ab eorum servitute quamplurimis mortalibus, et miraculis insignibus ad illustrandam religionem editis. Post quinque admodum menses Meliaporæ transactos, cognitamque Dei voluntatem a quo vocabatur ad Eoi maris insulas Evangelio imbuendas, Malacam festinavit *, unde in Indicum late Oceanum iter et vela flecteret. Properantem retardavit aliquamdiu miserabilis Malacæ status, ubi

et Malacam.

* *Sept. mense an.* 1545.

vitia omnia regnare videbantur. Xaverius concionando, docendo, mira patrando, vitiis pulsis, pudorem, temperantiam, æquitatem revocavit. Cum aliquando ex Urbe discessisset in vicinum pagum, mulier ad ejus accedit pedes, lacrymis perfusa, easdemque multo cum gemitu voces fudit, quibus Martha Christum olim compellavit : *si fuisses hic,* filia mea *non fuisset mortua : Sed et nunc scio quia quodcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* Miratus tantam in femina recens baptizata fidem, oculos ad cœlum erigit, ac Deo tacita prece supplicat. Mox respectans mulierem : *Vade,* inquit, *filia tua vivit.* Expectabat mater dum Xaverius ad tumulum procederet, nec tantum negotium una vocula, et quasi perfunctorie, conficiendum putabat. Ergo metum inter lætitiamque fluctuans respondet, sepultam esse a triduo puellam. *Perge nihilominus,* ait Sanctus, *recludi tumulum jube, vivam reperies.* Credidit mulier, et prosequente populo pergit ad sepulcrum, removetur lapis, puella in matris sinum exsilit.

Puellam e tumulo suscitat.

Joan. 11. 21.

Annus Christi 1546 : Societatis 7.

Ignatius audito religionis in India successu tam incredibili, tres e Societate impigros operarios ad Xaverium misit, Antonium Criminalem, Nicolaum Lancillottum et Joannem Beiram : hunc Hispanum, illos Italos. Suam unicuique stationem Xaverius assignavit; ac Lancillottum quidem in

Goano Sanctæ Fidei Seminario manere jussit, tradendis Indicæ et Lusitanæ juventuti latinæ linguæ elementis; Beiram et Criminalem in oram Piscariam, adjutores Francisco Mansilla futuros, misit: ipse in Amboinam, Molucas, Mauricas, aliasque pelagi orientalis insulas, profectus est Calendis Januarii anni MDXLVI.

Rebus bene in Synodo Tridentina gestis:

Quo tempore Tridentum ingressa Societas magnam Europæ toti movit expectationem, ac Dei beneficio, præclare sustinuit. Novitas Sociorum suspecta multis erat. Varius de illis, et ambiguus sermo: ætas ipsa nihil magnum promittebat. Lainius annum dumtaxat quartum ac trigesimum agebat: Salmeron alterum a trigesimo; sextum et vigesimum Canisius, neque longius admodum Jaius ætate processerat. Brevi cognitum est, in hac annorum parcimonia magnam esse copiam eruditionis et prudentiæ. Vocabantur ad communes et ad privatos conventus: multa de rebus propositis perscribebant domi, quæ ad legatos et universum concilium referrentur: consulebantur ab antistitibus ac theologis vel doctissimis; verba de divinis rebus faciebant ad Patres diebus Dominicis ac festis. Interim nequaquam usitata Societatis prætermittebant ministeria, dabantque operam sedulo pœnitentibus auscultandis, habendis passim concionibus, alendis corrogata piorum liberalitate pauperibus, et erudiendis, demum opera ægrotis in publico valetudinario navanda.

Ejusmodi officiis Christianæ charitatis et humilitatis religiosæ præparati, quemadmodum ipsis Ignatius enixe præceperat; accedebant ad dicendam sententiam, in qua hunc tenebant modum, ut nihil de libertate detraheret modestia, et rerum gravitati ubertas doctrinæ ac soliditas responderet. Cum Lainium cupidissime semper audirent Patres multa explicantem et evolventem, quæ minus distincte videbantur exposita; omnia gravissimis argumentis confirmantem : tum vero ejus latina oratio de Justificatione, tam secundis accepta fuit auribus, ut eam in actis Concilii exstare voluerint. Cumque unius horæ spatium paucis ad dicendum tribueretur, ipsi tribus horis continentibus dicere fas et solenne fuit.

Ignatius aditum honoribus obstruit,

** ob quindecim causas enumeratas Hist. Soc. lib. VI. n° 36.*

Res in Synodo a Sociis non improspere gesta, consentiensque tot Præsulum, tot Doctorum approbatio parum abfuit quin Societati universæ noceret, unamque de illius præcipuis legibus convelleret. Expetebantur certatim ab urbibus et provinciis, non solum ad juventutem bonis artibus informandam, verbum Dei Christianæ plebi dividendum, coarguendos errores, et alia id genus, quæ ultro profitebantur; verum etiam ad capessendos honores Ecclesiasticos, quod Societati omnino interdictum sapientissimus Ordinis conditor voluit. Nonnullas hujusmodi molitiones initio egregie discusserat Ignatius. Nitebantur contra Principes plurimi, sive mercedem aliquam faustis

Sociorum laboribus rependere cupientes; sive etiam spectantes utilitatem populi, quem ab iis commode regendum arbitrabantur, quorum e doctrina et pietate magnos ubique fructus capiebat. Nusquam exorari se patiebatur aut Sociorum humilitas, aut Ignatii constantia. Hanc tamen propemodum expugnavit Ferdinandus Romanorum Rex, cui deliberatum erat, Episcopo Tergestinorum vita functo P. Claudium Jaium subrogare. Deprecabatur honorem Jaius, et opem Ignatii acriter implorabat. Rex utrumque vinci posse desperans, scribit ad Summum Pontificem, et Oratori suo in Urbe rem enixe commendat. Pontifex Ferdinando assentiens, onus imponere Jaio reluctanti parabat, et in proximo Cardinalium consessu negotium transigere. Expavit Ignatius, cumque nihil orando et obtestando proficeret, brevem impetravit moram, ope Margaritæ Austriacæ, cujus conscientiam regebat; deinde acerrimas ad ipsum Ferdinandum scripsit litteras, eique rationem sui consilii in Ecclesiasticis honoribus tam constanter evitandis, reddidit. His litteris victus demum Ferdinandus, jussit oratorem suum inchoato, et pene jam transacto negotio desistere. Ignatius occasione utendum ratus, Pontificem captato tempore, docuit, cur tantopere Societas ab honoribus sacris refugeret. Exposuit periculum, quod esset aditura, si paucis illis hominibus privaretur, præcipua quadam doctrinæ

ac virtutis opinione florentibus, e quibus tunc ferme constabat. Religiosas familias erepto virorum hujusmodi excellentium robore, quantum e propriis amittunt viribus, tantum de sublevandæ Ecclesiæ facultate deperdere. Delatum honorem uni, aliorum cupiditatem commovere; ut qui de honoribus a conspectu remotis nihil cogitabant, præsentium fulgore decepti, ad ambitionem accendantur : quæ pestis ubi semel invasit animos necesse est omnia pietatis officia, tamquam radice vitiata, corrumpi. Hinc spes anxias oriri, hinc odia inter ejusdem honoris candidatos, hinc detortas ad privata studia curas, quas antea in suæ quisque familiæ ac publicæ rei commodum conferebat. Nihil gloriosius laboriosis Apostolicæ vitæ muniis, si ad Divinam referantur gloriam; si ad humanam, nihil vilius, nihil inquinatius. Quod si pecuniam aut quidvis aliud, quo labores nostri compensari videantur, non accipimus, cur dignitates omni potiores pecunia capiamus? Ad extremum, inquit, cum Instituti nostri sit non unam dumtaxat Regnum aut Provinciam peragrare, sed etiam Orbis fines adire ad propagandam tuendamque religionem, ubicumque vestra Sanctitas innuerit, neminem nostrum uni cuipiam affigi loco decet.

Ignatii orationem ac mentem probavit Pontifex planeque intellexit utiliorem Ecclesiæ futuram Societatem, si honoribus Ecclesiasticis careret. id probante Pontifice:

B. Pater judicio Summi Pastoris lætus perpetua lege sanxit ad excidendam stirpitus ambitionem, ut Professi peculiare votum conciperent, se nullos domi vel foris honores ulla ratione captaturos, ac si quem nostrorum in eo peccasse deprehenderent, Præpositis reum denunciaturos. Delatum autem foris honorem plane recusaturos, nisi ejus adigerentur imperio, qui proposita peccati pœna posset invitos cogere.

et alia quædam onera amovet.

Alio pariter onere Societatem Ignatius liberavit. Nobiles matronæ complures, imo cœnobia virginum Deo sacrarum, addictam sibi et ordinariam nostrorum operam postulabant. Hoc vero ab Instituto Societatis penitus alienum ejus auctor moderatorque judicabat, idque sua ipsemet experientia cognoverat. Cum enim quædam piæ feminæ ab eo extorsissent, interposita etiam auctoritate Pontificia, ut ex ipsius præscripto vitam agerent, statim sensit, quanta in hoc regimine fieret jactura temporis, quantum sollicitudinis ac molestiæ frustra sumeretur : adeo ut plus sibi cum paucis mulieribus negotii esse, quam cum tota Societate gubernanda, diceret. Itaque Pontificem adiit, eoque annuente, non modo excussit onus durum, sed præterea impetravit peculiare diploma Pontificium, quo Societas a feminarum, quamvis Deo dicatarum, contuberniis gubernandis in perpetuum liberatur : et ab aliarum regenda conscientia, quibus per litteras Summi Pontificis liceret

pietatis moderatores eligere arbitratu suo, nisi fieret in iis litteris nominatim mentio Societatis. Eamdem immunitatem Pius V et Clemens VIII Societati asseruerunt. Non curam duntaxat et opem aliquam a nobis postulabant per idem tempus Clericorum illustres aliquot cœtus, eorum præcipue quibus a Somascha nomen est, verum etiam unum cum Societate corpus conflare cupiebant. Existimavit Ignatius præstabilius ipsis et Societati fore, si suis singulæ seorsum uterentur legibus, et monstratam a sapientissimis Fundatoribus viam disciplinamque tenere pergerent.

Quanto diligentius fugiebat Beatus Pater occupationes ab Instituto Societatis alienas; tanto cupidius illas amplectebatur quæ cum eo sunt conjunctæ; cujusmodi est juventutis institutio in collegiis. Cum vero intelligeret, quanti momenti sit ea recte administrari, leges omnibus prudentissimas præscripsit. Illud in primis observari jubet, ut quam optima docendi ratio teneatur, utque auctores in qualibet scientia lectissimi, et omnium probatissimi prælegantur: qui vero scriptores depravandis adolescentum moribus idonei sunt, eos a Scholis nostris penitus ablegari jubet, nisi emendati prius diligenter, et expurgati sint. Imo libros hæreticorum, quamlibet eleganter et erudite scriptos, legi a nostris non ferebat; cum diceret, non carere veneni suspicione, quidquid ab istis fontibus flueret; tum ita esse comparatos

Præscriptæ Collegiis leges

Vide Hist. p. 1. lib. VI. n.s 64. 65.

lectores, ut qui librum laudant, auctori ejus faveant, eique facile, licet erranti, et falsa prædicanti, assentiantur. Præterea B. Pater non profanam in studio litterarum utilitatem, sed animarum salutem spectans, finem hunc professoribus Societatis præstituit, ut adolescentes una cum litteris mores etiam Christianis dignos potissimum hauriant. Itaque illos admonet, ut tum in consuetis scholæ exercitationibus, tum extra eas, ubi dabitur occasio, incumbant ad teneras adolescentium mentes obsequio et amori Dei præparandas. Eamdem ob causam vult operam dari, ut rei divinæ intersint pueri quotidie, concioni vero diebus festis, et conscientiæ maculas eluant singulis mensibus. Commendari jubet omnibus impense pietatem erga B. Virginem, librorum piorum lectionem, fugam noxiarum consuetudinum. Ne vero exolescat paulatim, ut rebus vel optime constitutis accidit, scholarum disciplina, præfectos apposuit; qui essent velut in speculis, ac providerent, ne quid vitii, oblivione aut alia qualibet ratione subreperet. Quin etiam ipse et inter gravissimas gubernandæ Societatis curas, a scholarum magistris rationem litterarii laboris exigebat : philosophicas ac theologicas conclusiones ex ultima sibi mitti volebat Europa, nec non juniorum lucubrationes magistrorum, vincta numeris oratione et soluta, nondum a quoquam spectatas, quales ex ipsorum officina prodierant. Nihil porro cavebat impensius,

quam ne doctrinæ novitati aditus aliquis in scholas Societatis aperiretur, ac si quem e professoribus a trita, et quasi regia doctorum via deflectere audiret, illum removebat a munere docendi, quantumvis ingenio et eruditione præstantem. Idem nonnullos, ut in ejus quadam epistola legere est, consolabatur, qui exarescere pietatis suavitatem inter studia querebantur. Id vero minime mirum esse docet, cum ita fere dispertitæ sint intelligentiam inter et voluntatem partes, ut si plusculum quiddam uni tribuatur, tantumdem detrahatur alteri. Deinde remedia subjicit, quibus foveri pietatis ille suavior gustus possit. Postremo negat, veram virtutem contineri ejusmodi suavitatibus, sed solidarum exercitatione virtutum, quibus pretium ponit voluntas bona, quæ semper est in nostra potestate.

His legibus gubernari cæpta sunt Collegia Vallisoletanum, quod anno superiore Fabri opera fuerat constitutum; et Bononiense hoc anno natum in Italia, studio et liberalitate Francisci Palmii : præsertim vero Gandiense in quo S. Franciscus Borgia studiorum universitatem constituerat, impetraveratque a Summo Pontifice, et Cæsare, ut gauderet omnibus privilegiis quibus Complutensis et Salmanticensis academiæ fruebantur. Neque vero Gandiæ Dux illud suum duntaxat collegium novis in dies præsidiis firmabat, verum etiam de aliis collegiis sollicitus, Compluti certum

S. Francisci Borgiæ consilia.

nostrorum numerum suis impensis aluit; et ad Cæsaraugustanum Archiepiscopum, avunculum suum, nec non ad Aragoniæ Proregem litteras dedit, ut Societati aditum Cæsaraugustam aperirent. Quos ut factis magis, quam sermonibus incitaret, domicilium, quod illic habebat, obtulit. Quippe jam Deo se totum dicare in Societate decreverat, eamque amare multo impensius cœpit, perspectis PP. Oviedi, Fabri, Mironis, et aliorum, quos præ oculis habebat, moribus et institutis: tum vero degustata singulari sapientia libelli ab Ignatio editi, de ratione res Divinas animo tractandi, et vitæ ad virtutis normam exigendæ. In eodem libello considerata Christi charitate et humilitate, familiam nostram cæteris Ordinibus religiosis prætulit, in qua majorem sibi locum fore duxit charitatis et humilitatis exercendæ. Non latebant Ignatium consilia Ducis. Divinitus omnia cognoverat, antequam ea rescivisset ex P. Fabro, quem Borgia Romam ex Hispania proficiscentem rogaverat, ut omnia Beato Patri aperiret. Itaque acceptam Romæ a Borgia epistolam ostendens Doctori *, tunc in Urbe propter pietatem doctrinamque spectatissimo: Scito, inquit, hunc, cujus hæ litteræ sunt, cooptandum in Societatem nostram, ejusque Præpositum Generalem fore. Hoc sibi ab Ignatio prædictum idem doctor juratus sancte postea confirmavit. Certis tamen de causis B. Pater, qua erat prudentia, Borgiam in Socie-

* *Zarramay*

tatem admittere palam distulit, expectandum ratus tantisper, donec ad rem conficiendam temporis maturitas adesset. Alios interea bene multos Societati adscripsit, potissimum in Lusitania, quæ prima omnium Provinciæ nomen hoc anno accepit.

Ex ea missi sunt adjutores operis Evangelici ad Xaverium, qui stabilita, et amplificata per oram Malabaricam, promontorium Comorinum, et Oram Piscariam, Christi Fide, ad eamdem per insulas maris Asiatici propagandam, peculiari Numinis instinctu vocabatur. Malaca solvit calendis Januariis anni MDXLVI, Molucas petens. Magister navis Lusitanus erat; rectores et nautæ, pars Mahometani, pars Ethnici. Quos omnes Franciscus Christo lucratus est in ipso cursu. Veritatem Evangelicæ doctrinæ id maxime illis persuasit, quod, cum essent cuncti e diversis oriundi regionibus, nec sermone minus, quam moribus ac religionibus, discrepantes, Xaverium nihilominus docentem sic intelligebant, ut si proprio singulorum sermone usus esset. Appulsa navis est Amboinam. Hæc distat Malaca millia passuum amplius nongenta : octoginta vero millia circuitu colligit. Rerum potiebantur in ea Lusitani. Pagi Christianorum septem numerabantur, sine ullo sacerdote; quippe unus, qui supererat, paulo ante Xaverii adventum obierat. Istos confestim circumire pagos cœpit vir Apostolicus, ac plurimos baptismo lustravit infantes, quos brevi consecuta

Insulæ maris Indici excultæ.

mors Angelis addidit, quasi tamdiu duntaxat et prorogata illis vita foret, dum ipsis cœli ostium recluderetur. Profugerant in montes et avia nemora Christiani, prædonum metu, qui littora cædibus et incendiis populabantur. Montium antra scrutatus, et spelæa nemorum, erudivit miserabilem turbam, et ad patientiam in adversis dignosque Christianis institutis mores excitavit. Inde convertit operam ad ethnicos et mauros, qui ejus adducti verbis et exemplis Mahometem suum et idola detestati sunt. Major insulæ pars Christo Sacramentum dixit : condita templa; delecti e neophytis prudentissimi, et legis divinæ scientissimi, qui popularium suorum gererent curam, donec adessent Societatis Sacerdotes, quos continuo Xaverius arcessivit.

Rebus ad hunc modum in Amboina compositis, insulas lustrare circumjectas instituit. Baranuram petebat, cum orta subito procella navim fluctibus, rectores desperatione, nautas metu, implevit. Xaverius dereptam e collo Christi crucifixi effigiem funiculo suspensam demittebat in mare : excidit illi e manibus, et undis hausta statim procellam sedavit. Postridie littus legebat cum amico Lusitano ; emergentem e mari cancrum vident, cujus in falcatis cruribus exstabat sublime idem Christi Crucifixi sigillum. Is recta contendit ad Xaverium, et ante illum constitit. Qui sacram effigiem positis humi genibus recipiens, ac sæpe

deosculans in eodem littore per dimidiam horam, gratias agens Divinæ benignitati, mansit. Lustratis aliquot insulis, Ulatam ingressus, hanc armorum fragore circumsonantem offendit. Rex in urbe primaria obsessus deditionem meditabatur, non animorum egens ille aut militum, sed aquæ : nam fontes hostis interciderat, et imbrium spem æstas calidissima penitus adimebat. Arripit occasionem Xaverius. Urbem astu subit, seque Regi improvisus offert, insperatam opem et imbrem promittens si Christianus esse velit. Deum, inquit, cole naturæ dominum; crede, confide, vince.

Insperatum imbrem promittit Xaverius;

Prona est miseris ad omnia, unde speratur aliquid opis, credulitas. Rex publicam dedit fidem, se suosque Christianos fore, si promissi darentur imbres. Xaverius altam fabricatus crucem, vix ad eam supplicare cœperat; cum cœlum obduci nubibus, ruere copiosus imber, civitas, jumentis hominibusque refectis, hostem lacessere, qui desperata victoria, obsidionem solvit. Stetit promissis rex, et cum omni populo baptizatus est. Imo aliquot minores suæ ditionis insulas in Christi jurare pariter verba jussit. Quibus baptismo expiatis, et ad Christiana formatis instituta, Xaverius iter in Molucas alias contulit.

Ulatæ regem cum populo baptizat;

Molucæ vocantur minores insulæ complures inter insulas Gilolam, Celebim, et Ceramam : qui maris tractus, Æquatori subjectus, appellatur vulgo Archipelagus Molucarum, seu Molucus.

Quinque sunt Molucæ proprie dictæ, et ab Aquilone in Austrum porriguntur ad occidentalem oram insulæ Gilolæ, aromatum, ac præcipue caryophilli fertilitate et commercio nobiles. Eminet inter Molucas proprie dictas Ternata, regis sedes. Ex hominum prope infinita, quæ urbem frequentabat, multitudine, eaque vitiis omnibus contaminata, nemo, præter duos, e flagitiorum cœno non emersit; ut ipsemet Xaverius in suis ad amicos litteris testatur. Neque intra solos Christi cultores fructus ille stetit; permanavit etiam ad Saracenos, et cultores idolorum. Ex eo fuit numero Saracena prænobilis, Neachile Procarago, regis Almasoris, cui parebat insula Tidor, filia; uxor vero Boleifi, Regis Ternatensis. A Xaverio Christianis erudita mysteriis, magno apparatu Fidem Christi professa et ejusdem perfectionem tanto duce brevi est assecuta.

Ternatam excolit;

Non explebant hæc insatiabilem viri sancti charitatem. Audit de quibusdam non valde remotis insulis, quas, a primaria vulgo Mauri nuncupata, Mauricas appellabant. Eas fama erat olim Christo adjunctas; postea Lusitanorum odio, ad idola sua et vitia revolutas, interfecto, a quo Christum didicerant, Sacerdote. Constabat incolas esse feris, quam hominibus propiores, ferro et veneno in hostem pariter ac civem sævire solitos. Regio tota montibus aspera, crebris terræ motibus concussa; ignibus, partim e sulphureo, et multis hiante locis

solo, partim e fulminante, et velut indigenarum vitiis irato cœlo, excussis exusta et horrida. Quod aliis terrori, hoc incitamento fuit Xaverio id unum timenti, ne quid timeret, ubi Dei gloria et salus animarum agebatur. Menses circiter tres *in medio nationis pravæ* incolumis, præter omnium opinionem, remansit. Quo temporis spatio feros illos et sceleratos homines patientia, comitate, prodigiis ad humanitatem, et Christianæ vitæ mores traduxit. Utebatur sæpe domestico argumento; cum ex imis terræ visceribus cinerum vim, ardentes flammarum globos, ignea saxa prorumpere cernerent; admonebat, hæc esse inferorum adumbrata vestigia : caverent ne in sempiterna illa incendia, quorum facies ipsis quædam obversabatur ante oculos, ruerent præcipites. Movebat in primis feroces animos, et periculorum omnium contemptores, ut ipsi gloriabantur, interrita Francisci fortitudo, constansque vultus et animus, tametsi terris cœlum misceretur, et mortem omnia præsentem intentarent. Quantum autem profecerit vel hinc existimari potest, quod uno in oppido (Tolum vocant) ad viginti quinque capitum millia Christianis Sacris et moribus imbuerit. Non defuere tamen, ut in magna multitudine et barbara pervicaces atque impii Deorum cultores, qui cursum Evangelii retardare conarentur. Ab iis aliquando, cum ad fluminis ripam verba de Deo faceret, saxorum grandine appetitus est. Altum

Mauricas insulas,

a tergo latumque flumen; a fronte hostes et saxa. Trabem vastam in ripa circumspicit, eam instar levis baculi propellit in flumen, seque desuper imponit; momento delatus in adversam ripam tela sequentium et necem effugit. Ceterum affluebat in tot ærumnis cœlestium copia gaudiorum, ita ut affirmaret in suis ad Socios litteris, eas insulas videri aptas ad perdendam oculorum aciem, jucundissimarum ubertate lacrymarum.

Goam e Mauricis insulis ad componenda Societatis negotia vocatus, idque præsertim agitans, ut stabile Societatis domicilium in Molucis poneret, Ternatam paulo post repetiit; spe Regis, quem Lusitani stipendiarium habebant, ut plerosque alios harum insularum regulos, a Mahomete ad Christum convertendi. Audiebat ille summa cum voluptate Xaverium de religione disserentem, ac Mahometem facile contemnebat. Quominus sequeretur vocantem Christum, carnis vinculis impediebatur. Nam præter pellicum greges, conjuges centum regiam implebant. Divinum munus, Rege spreto, plerique proceres regii sanguinis consecuti sunt, ac duæ regis ipsius Sorores; quæ Christianæ dici, quam Reginæ, et Regum vicinorum sponsæ, maluerunt. Relicta Ternata, revisit Amboinam, pagos omnes lustravit, et Cruces ubique depanxit, miraculis deinde multis nobilitatas. Magnam cepit e Christianorum pietate voluptatem, quos priscis Ecclesiæ alumnis

comparare non dubitabat, paresque tyrannorum impotentiæ tolerandæ futuros fuisse arbitrabatur. Neque id ab illo temere creditum esse res ipsa paulo post docuit, cum Javani, Mahometem ab illis desertum dolentes, Amboinam invaserunt. Dum agros late vastarent, sexcenti Christiani conjecerunt se in castellum, statimque obsessi, nihil habuerunt antiquius, quam ut Crucem in arce summa positam a Xaverio, absconderent, ne Saracenorum ludibriis pateret. Ubi thesauro suo consultum vident, castelli portas militi Mahometano, deditione facta, recludunt. Miles impius Crucem ante omnia vestigare, ut eam flammis perderet, gratam suo Mahometi victimam : urgere tormentis Christianos, ut ejus latebram indicarent. Id vero nullis potuit extorquere suppliciis, quorum mors fuit levissimum.

Annus Christi 1547 : Societatis 8.

Per idem tempus Celebis ab Indiarum Apostolo exculta fertur. Hæc insula inter Molucarum Archipelagi majores numeratur, sexque regna continet, quorum amplissimum Macassar ab indigenis vocatur ac toti aliquando Insulæ nomen tribuit. Quid egerit in hac insula, quid pertulerit, proditum non est. Id unum habetur in Actis Canonizationis ut appellant, baptizatum ab illo Regem Macassaris, ejus fratrem et magnam regni partem. His peractis Malacam versus vela fecit

et Celebem.

Sextili mense anni MDXLVII, quando Societas Europea insulam istis Asiaticis nobiliorem excolere incipiebat. Hæc Sicilia est : eam primus inierat Societatis Sacerdos Jacobus Lhostius * rogatu Cardinalis Carpensis; ac Drepani, mox Bibonæ, aliisque in urbibus, docere pueros et rudes instituerat; ægrotis in valetudinario inservire; populum ad levanda sæpius peccatorum onera cohortari, quod hominum ac temporum vitio infrequens, ac pene probrosum evaserat; virginum Deò Sacrarum cœnobia revocare ad pristinam disciplinæ severitatem. Eadem multo splendidius hoc anno præstitit Hieronymus Domeneccus, a Prorege Joanne Vega, ejusque conjuge, accitus, quorum ad confessiones audiendas adhibitus, multa præclare Panormi constituit. Proregi auctor in primis fuit, ut sumptus quosdam in epulum publicum a civitate fieri solitos, ad contubernia mulierum, quas conversas nominant, sustentanda converteret. Suasit etiam ut Innocentii, Pontificis Maximi decretum, de non adhibenda ægrotantium corporibus curatione prius, quam animis medicina confessionis esset admota, promulgaretur; ut orbatis utroque parente liberis poneretur domus; ut ex multatitia pecunia facultas daretur emergendi e carcere nonnullis, qui ære alieno modico premebantur, et in vinculis consenescebant. Idem vitiosam sacris in templis confabulandi, et inambulandi consuetudinem sustulit;

Primus ingressus in Siciliam.

* *anno* 1546.

brevem et sinceram doctrinæ Christianæ summam, quæ puerilibus in scholis traderetur, composuit. Multa in Monte Regali, multa Messanæ, aut emendavit, aut pristinum in decus vestituit. Lainius in partem laboris venit anno MDXLVIII, quo paulum ipsi licuit per occupationes a Concilii Tridentini Patribus impositas, interquiescere : nam antea potestas hæc illi data non fuerat.

Tridentina Synodus dilata.

Intermitti sane Concilium oportuerat hoc anno propter pestilentiæ metum, aliasque causas. Non tamen idcirco Socii cessabant in publicam religionis causam privatis laboribus incumbere, ut intelligi potest e litteris Legatorum Concilii præsidum. Cum enim per occasionem dilatæ Synodi; Cardinalis Carpensis, et Magnus Etruriæ Dux, nec non ejus uxor Eleonora Toletana, quæ Societatis collegium Florentiæ moliebatur, Lainium ab Ignatio postulassent, quasi tunc a laboriosis Concilii occupationibus feriantem; nec recusare, quod petebant, posset B. Pater, pro singulari suo erga patronos Societatis, amicosque studio : negarunt Legati Pontificii Synodi præsides, carere se illo posse. *Hanc ipsi provinciam dedi* (ait in suis ad Ignatium litteris * Marcellus Cervinus) *ut colligeret, in ordinemque redigeret hæreticorum errores omnes in Concilio damnandos, præsertim qui ad Sacramenta pertinent. Negotium operosum et magni otii. Quamobrem non judicavi prius dimittendum,*

* *datis Tridenti* 5 *feb.* 1547.

quam illud penitus absolvisset. Boni, quæso, quod feci, consulas. Sin aliter tamen censes; quin opus imperfectum deponat, non vetabo. Scripsit ad Ignatium in eamdem sententiam Vica-
* jan. 1547. rius Summi Pontificis Philippus Archintus *. *De tuis charissimis fratribus ne sis sollicitus. Nobis curæ et cordi sunt. Ceterum sic habeto, nullo terrarum Orbis loco posse, quam hic utiliores esse. Faciemus te de illorum rebus, si quid accidat, certiorem; nobiscum enim quotidie versantur, quæ illorum humanitas est.* Versabantur illi Bononiæ, quo transferri Synodum placuerat. Ibi Lainius, quæ de Pœnitentiæ Sacramento paraverat, edisseruit in consessu Patrum; et de reliquis Sacramentis aliquid pariter elucubrare jussus est. Salmeron de sanctissimo Missæ Sacrificio per biduum verba fecit: ambo interim, ut ceteri socii, multa utiliter ad salutem animarum, quoad per curas Concilii licebat, tum cognoscendis laxandisque peccatis, tum habendis concionibus aliisque ministerii Evangelici operibus frequentandis, e more atque instituto Societatis gesserunt. Quibus permoti Bononienses Societatem, domicilio stabili ac perpetuo in sua urbe donaverunt, attributis ædibus prope templum S. Luciæ, ubi nunc est collegii sedes.

Cum interim Magnus Etruriæ Dux Lainium flagitare pergeret, Florentiam cum Canisio discessit. Inde Perusiam, Legato Episcopoque rogan-

tibus, jubente Ignatio profectus, prima collegii Perusini jecit semina : lustravit Eugubium, Perusio proximum, certante ubique cum proceribus ad eum audiendum populo; denique, diebus aliquot in Monte Politiano consumptis, Florentiam, ut promiserat, revertens, assiduum sustinuit et dicendi, et consulentibus respondendi munus. In extrema prope Ligures Tuscia, P. Sylvester Landinus acceptam divinitus homines permovendi conterrendique dotem mirabiliter explicabat. In publico pauperum hospitio tamquam domi suæ versabatur, tota licet reclamante familia et propinquitate. Vitæ modestia, pietas sermonis juncta cum singulari comitate omnium animos mirifice capiebat. Itaque pendebant ab ore dicentis, et arduam licet virtutis viam illo duce læti capessebant. Tota Lunæ Sarzanæque diœcesi motus animorum incredibiles excitavit. Diebus paucis confirmatæ sunt, eo dicente, piæ Sodalitates; mos crebræ confessionis inductus; vitia, hæreses, pravæ atque inveteratæ consuetudines extirpatæ.

Excoluntur variæ urbes Italiæ a Lainio, a Sylvestro Landino,

Major erat P. Jaii lenitas in agendo, nec vis et efficacia tamen minor. Ferrariam arcessitus, Ducis postulatu, talem se in aula gessit, nihil ut ex aula traheret aut periculosæ licentiæ aut deterioris famæ. Ducis, et primarii cujusque viri, confessionibus præerat; idemque in valetudinarii publici tenebris libentius multo et frequentius, quam in aulæ splendore habitabat. Sed illum

et a Cl. Jaio.

Germania brevi repetiit, ubi religio post Caroli V victoriam paulum respirare cœperat.

Lætus Germaniæ toti fuit hic annus, fusis fugatisque Protestantium copiis : fortunatus idem extitit Indiæ, victis ethnicis, adversus Lusitanos et nomen Christianum conjuratis. Xaverius Goam ad componenda quædam gravioris momenti negotia reverti coactus ex insulis Indicis, ubi annum MDXLVI et partem sequentis consumpserat, Malacam adiit, ex itinere, sub Quintilem hujus anni, et menses quatuor in ea restitit.

Victoria de Acenis parta, hortatu Xaverii.

Civitatem offendit suspensam metu, et instantis belli expectatione trepidam. Aceni partem obtinebant maximam Insulæ Sumatræ, quam ad occasum Malaca spectat, leucis non amplius duodecim disjunctam, interfuso mari. Acenis imperitabat Sultanus Alaradinus Christianorum universe professus hostis, quia Mahometanus, ac proprie Lusitanorum, quia cladibus aliquot ab iis affectus. Ultionis avidus bellum parat, et cum majoribus navigiis sexaginta instructissimis, ad Malacam adest improvisus. Portum vi ingressus, naves Lusitanas incendit, aut perfringit. Cedere paululum coactus displosis in eum ex arce tormentis, insidias in freto tendit. In eas delapsos piscatores, amputatis naribus, auribusque, ad Malacensem gubernatorem, cum exaratis eorum cruore litteris, misit, eum superbe ad pugnam lacessens. Visa est Xaverio contumelia non tam Lusitanis, quam

Christo ipsi, et nomini Christiano illata; suadet hostem persequendum, victoriam pollicetur. Septem duntaxat restabant in portu navigia, reliquis ab hoste concrematis, eaque tempestatibus quassata, et pugnæ parum idonea, nedum victoriæ. Refici jubet, instrui, et in hostem duci. Qui paucitatem Lusitanorum despiciens, non tam ad prælium, quam ad prædam dissono tympanorum, bombardarum, et ululatuum fragore concurrit. Lusitanæ classis præfectus, cum expedita nave progressus ad prætoriam hostium, quæ Turcicis quatuor cincta triremibus primum ducebat agmen, ferreum majorem globum tam certo libravit ictu, eam ut subito demerserit. Enatabant aliqui milites ac duces, quos dum excipere student vicinæ triremes, in eas aliæ, vento æstuque delatæ incursant, et posteriores impactæ prioribus, sese invicem implicant, colliduntque, ut inter se prius quam cum hoste pugnare viderentur. Id Lusitanus animadvertens ter effusa tormentorum procella, novem inter se implexas naves momento dejecit; alias labefactavit, aut fregit. Nautæ, remiges, milites, confecti telis, hausti fluctibus, ad quatuor millia perierunt. E Christianorum classe viginti sex tantum desiderati narrantur. Quinque et viginti barbarorum capta navigia. Dum hæc agerentur, verba faciebat in Malacæ templo Xaverius ad populum, cum subito velut intuens ordinem ac modum pugnæ, fusum fugatumque dixit ho-

stem; gratias pro victoria superis egit, ejus nuntium certa die adfuturum pollicitus, uti contigit.

Populi plausus, victoriam Xaverio assignantis fecit, ut maturaret Goam proficisci, quo tendebat. Jam navim conscendebat, cum e Sina reduces Lusitani Malacæ portum subierunt. Inter vectores erat Japon, Anger nomine, homo locuples, et domi nobilis, qui conscientia scelerum agitatus, patriam, exul voluntarius, fugiebat. Sed fugere se ac domesticum conscientiæ tortorem non poterat. Post adhibita nequicquam varia remedia, quibus intestinos mentis perturbatæ sedaret æstus, in Xaverium incidit. Promisit Christi servus facturum se medicinam ægrotanti, si Christiana suscipere sacra in animum induceret. Non detrectavit Anger conditionem, et pacem cum Deo ac secum beneficio baptismi est consecutus. Sed ante multa de Japonibus narrans, injecit Indiarum Apostolo cupiditatem visendæ Japoniæ, et ad Imperium Christi adjungendæ, statim atque negotia, quæ instabant, Goæ confecisset. Illis anno sequente compositis, mari cum eodem Angere se commisit, in Japoniam velis votisque festinans.

Annus Christi 1548 : Societatis 9.

Dum Indias Xaverius instar solis exorientis Christiana perfundebat luce, alterum in occidente sidus Ecclesiæ et Societati nascebatur S. Franciscus Borgia. Is cum se Deo peculiari nexu obli-

gare jampridem in Societate Jesu statuisset, Professionis vota solemnia, domesticos tamen intra parietes nuncupavit *. Nondum enim visum erat expedire, ut religiosam indueret vestem, et per Apostolicam Sedem ei licebat adhuc negotia domestica pariter ac publica tractare toto triennio. Interim totum sese ad Theologiæ studium contulit, ac doctoris titulum et insignia post solitas periclitationes domi sumpsit. Nova sanctioris vitæ professio novos addidit Christi famulo ad omnem virtutem stimulos. Nullus erat jejuniis modus, nullus precationi : nullus sine cruenta, et pene crudeli verberatione corporis dies. Injecit frenos Ignatius, ac monuit, ut qui se hactenus quodammodo perdere sibi studuerat, jam se proximorum saluti servare meminisset. Domandum corpus, cum rationis ac spiritus legi repugnat; ubi servire ac pati jugum didicit, alendas ejusdem tamquam servi obsequentis, aut jumenti jam domiti, vires, ut suis deinde ministeriis obeundis, et oneri ferendo par sit. Sed quantum de pristina austeritate Borgia detraxit, tantum adjecit aliis exercitationibus privatæ ac publicæ pietatis. In primis autem studuit pondus et auctoritatem addere Spiritualibus S. Ignatii Exercitiis, e quibus tantam ipse hauserat utilitatem, et quæ per inscitiam, aut malignitatem a nonnullis per eos dies in Hispania dolebat in invidiam et suspicionem erroris vocari. Quare Summum Pontificem obsecravit, ut libel-

S. Fr. Borgia religiosa vota nuncupat.

* *die 2 febr.*

Approbationem libelli Exerc. obtinet.

lum theologis examinandum traderet, eumque si videretur, calculo suo et Apostolica constitutione comprobaret. Fecit utrumque Pontifex : et propriis litteris libellum commendavit pridie cal. Sextiles anni MDXLVIII. Juvat ipsum diploma Pontificium ad verbum exscribere.

PAULUS PAPA III AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

« Pastoralis officii cura, in universum Christi » gregem nobis commissa, et Divinæ gloriæ ac » laudis amor facit, ut ea quæ salutem animarum » et spiritualem earum profectum juvant, amplec» tentes, vota eorum qui aliquid, quod fovere et » nutrire pietatem in Christi fidelibus valeat, a » nobis exposcunt, ad exauditionis gratiam ad» mittamus. Cum ergo (sicut dilectus filius, no» bilis vir, Franciscus de Borgia, Dux Gandiæ, » nobis nuper exponi fecit) dilectus filius Ignatius » de Loyola, Præpositus Generalis Societatis Jesu, » per Nos in alma Urbe nostra erectæ, et per Nos » auctoritate Apostolica confirmatæ, quædam do» cumenta, sive exercitia spiritualia, ex sacris » Scripturis, et vitæ spiritualis experimentis eli» cita, composuerit, et in ordinem, ad pie mo» vendos fidelium animos aptissimum, redegerit; » illaque Christi fidelibus ad spiritualem consola» tionem et profectum magnopere utilia, et salu» bria esse, non solum fama, ex plurimis locis » allata, prædictus Franciscus Dux didicerit; sed

» sed etiam experimento manifesto, cum Barci-
» none, tum Valentiæ, tum Gandiæ, id compertum habuerit. Quare idem Franciscus Dux Nobis
» humiliter supplicari fecit, ut documenta et spiritualia exercitia prædicta, quo latius eorum
» fructus pateat, et plures Christi fideles majori
» cum devotione ad utendum illis, invitentur,
» examinari facere : et, si approbatione et laude
» digna inveniremus, approbare et laudare, aliasque in præmissis opportunæ prævidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui
» documenta, et exercitia hujusmodi examinari
» fecimus, et quæ testimonio ac relatione, dilecti
» filii nostri, Joannis Tituli S. Clementis, presbyteri Cardinalis, Burgensis Episcopi, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoris, et venerabilis fratris
» nostri Philippi, Saluciarum Episcopi, ac dictæ
» Urbis nostræ in spiritualibus Vicarii generalis,
» necnon dilecti fili Ægidii Foscararii, nostri Sacri
» Palatii magistri, nobis desuper facta, pietate ac
» sanctitate plena, et ad ædificationem et spiritualem profectum fidelium valde utilia et salubria esse, et fore comperimus : debitum etiam
» respectum ad fructus uberes, quos Ignatius, et
» ab ipso instituta Societas præfata, in Ecclesia
» Dei ubique gentium producere non cessant, et
» ad maximum adjumentum, quod ad id prædicta
» exercitia attulerunt, non immerito habentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, documenta,

» et exercitia prædicta, ac omnia et singula in eis » contenta, auctoritate prædicta, tenore præsen- » tium, ex certa scientia Nostra, approbamus, » collaudamus, ac præsentis scripti patrocinio » communimus; hortantes plurimum in Domino, » omnes et singulos utriusque sexus Christi fide- » les, ubilibet constitutos, ut tam piis docu- » mentis et exercitiis uti, et illis instrui devote ve- » lint. etc. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, » sub annulo Piscatoris, die ultimo Julii MDXLVIII » Pontificatus nostri anno quartodecimo.

Porro quis iste sit libellus, quem Exercitia Spiritualia nuncupamus; quæ præcipua dos hujus opusculi, non erit, opinor, alienum paucis explicare. Continet hic liber pias quasdam mentis exercitationes, cujusmodi sunt meditari res divinas; dictorum factorumque rationem a se reposcere, deliberare de vitæ genere instituendo, varios animi motus, in virtutem aut vitium inclinantis, discernere, et alia id genus, certis instructa præceptionibus ac regulis, et in optimum ordinem methodumque composita; præsertim quod attinet ad rationem divina contemplandi, ut qui viam hanc teneat, is ad Christianæ vitæ perfectionem facile assurgat. Fuere, qui libellum hunc aliis quibusdam scriptoribus tribuere conati sint : ac præcipue Monacho Benedictino Abbati Montis-Serrati. Verum id falso jactari palam professi sunt ipsi Benedictini, in Generali Capitulo Congregationis

Montis Cassini, Ravennæ habito, anno MDCXLIV idque anno sequenti iidem in Lusitania Benedictini confirmarunt.

Testimonia de Exercitiis spiritualibus.

Inter illustria summorum virorum de illo libro testimonia, insigne dedit Bartholomæus Torres, Doctor Salmanticensis clarissimus, cujus exstat perquam eruditus de sanctissimo Trinitatis mysterio commentarius, et cui delatus Canariensis Episcopatus fuit. Is igitur affirmare non dubitavit, « se numquam ab annis triginta, quos in » divinis litteris perdiscendis consumpserat, item» que aliis permultis, quibus theologiam docue» rat, tantum didicisse ad privatæ virtutis factum, » quantum paucis Exercitiorum diebus. Id si mi» rum, inquit, videbitur cuipiam, aliter atque » ego sentienti; oro, ut experiri ne gravetur. Idem » si fecerit, mecum idem sentiet. Et in promptu » ratio est. Studebam ut recte docerem; Exercitia » peragebam, ut recte viverem. Valde autem in» terest, discere, ut doceas, an discere, ut facias. » Addo cognitos mihi quamplurimos, piis ejus» modi Exercitationibus perfunctos; nec tamen » cognitum quempiam, qui magnos inde ad pro» fectum virtutis fructus non retulerit, quique illas » non palam prædicaret, tamquam utilissimas, ac » Divino consilio mortalibus datas. »

Permagni ad comprimendos hujus libelli obtrectatores ponderis testimonium doctoris tanti, et aliorum quos laudat, judicium esse potest.

Nec nullius momenti esse debent hæreticorum declamationes, et insectationes hujus libelli. Eorum unus, præcipuæ inter suos famæ *, cum videret mirificas morum commutationes a piis ejusmodi exercitationibus profectas; neque posset adduci, ut *dexteram Excelsi*, tot miraculorum effectricem, agnosceret ac veneraretur; maluit eas dæmonum præstigiis, et incantamentis assignare. Calvinus vero doctrinam suam istis armis spiritualibus sæpe graviterque vulneratam dolens, in ea stilum distringit, felle solito tinctum, ac mera scilicet Anabaptistarum esse deliria clamitat *. Dolendum putarem, si libellus iste a Calvino laudaretur. In eo certe Ludovicus Granatensis, Joannes Avila, et Ludovicus Blosius, quos scientissimos perfectæ vitæ magistros fuisse nemo negat, propositam agnoverunt medicinam curandis animi morbis vel difficillimis, fomitem Divinæ charitati accendendæ; facem rectæ atque incorruptæ Fidei commonstrandæ.

* *Gabr. Lermæus.*

* *Lib. III. Instit. c. 3.*

Tanti faciebat hoc opusculum S. Carolus Borromæus, ut illud penes se numquam non haberet; sibique persuaderet, ab eo fonte haustum, quicquid lucis in mente, quicquid bonæ voluntatis in animo divinitus accepisset. Nec dicere dubitavit, inspecta Mantuani Ducis amplissima bibliotheca, se in hoc libello uno aliam multo ditiorem circumferre, ac multo utiliorem. Sed quamvis deessent tot summorum virorum judicia de Spiritualibus

Exercitiis, ipsa dos libelli propria, nimirum peculiaris ad mortales a vitiis revocandos, aut in virtute confirmandos, efficacia, satis ornamenti et approbationis operi conciliaret. Hanc libelli dotem experti complures circa annum MDL in Lusitania, cum ex illo salutari otio, piisque latebris redirent plane commutati ac sibi ipsis dissimiles, percrebuit rumor, objici mentibus et oculis eorum, qui hunc in modum exercerentur, miras terribilesque visu formas, quibus veluti fascinati seipsos et res humanas omnes, aliter ac prius intuerentur. Hæc fama Sacros Fidei quæsitores impulit, ut veritatem diligentius investigandam putarent. Quidam ab Exercitiis recens, interrogatus clam, ecquid tandem per istos, quos egerat solus, dies viderit? *Enimvero*, inquit, *vidi rem horridam*. Arrectus Quæsitor exspectatione monstri alicujus, jubet scribam, quem secum ad excipienda responsa duxerat, voces omnes in codicem referre. Pergit alter, et *Vidi*, inquit, *vidi me ipsum, quem numquam antea videram. Hujus monstri aspectu cohorrui et mores mutavi*. Hoc certissimo spiritualium Exercitiorum fructu abunde refutantur calumniæ aut cavillationes, quas in ea maledicus livor identidem jecit.

Hæc tamen perducendi homines ad Christianam perfectionem via, nondum usu ipso satis cognita, itemque alia munia Societatis propria, paulum a ceteris Ordinibus religiosis discrepantia;

demum aliquis populi erga nostros favor, invidiam multorum et odia conflaverunt; præsertim Salmanticæ, ubi Melchior Canus, insignis theologus, persuadere civibus conatus est instare tempora ab Apostolo descripta, et adventare Antichristum; et Societatis homines ejus esse nuncios, satellites ac præcursores. Itaque illorum nomen, vestes, instituta omnia, publicis concionibus atrocissime insectari cæpit. Ut erat magna de viri eruditione existimatio, mutata derepente populi studia : cavere sibi omnes a nostris, eorum occursum ipsum aspectumque, fugere; pellendos procul et exterminandos conclamare.

Frustra Canum de Societatis instituto edocere Michael Turrianus tentavit, Complutensis doctor; excellenti vir sapientia et probitate, Societatem ante biennium ingressus, qui Salmanticam, Ignatii jussu, cum aliquot Sociis venerat. Nihilo plus apud hominem in præcepta opinione defixum, profecit Joannes Penna, clarissimus ex eodem atque Canus ordine Dominicano doctor, qui defensionem Societatis, aperte contra sodalem suum susceperat : nihil potuerunt Francisci Romæi, Generalis Magistri Dominicanorum, ad suos litteræ gravissimæ; quibus eos hortabatur, ac porro præcipiebat, ut Societatem, quippe approbatam a Sede Apostolica et confirmatam tuerentur, juvarent, et complecterentur. Non erit, opinor, alienum litteras ejus integras exhibere, quæ aperte demonstrant, quam

sancta et arcta esse debeat Ordinis utriusque conjunctio. Sic igitur scribit :

« Universis in Christo venerabilibus Patri- » bus, et Fratribus Ordinis Prædicatorum, ubique » terrarum constitutis, Frater Franciscus Romæus » e Castillione, Sacræ Theologiæ Professor ac » totius Ordinis humilis Generalis Magister, et Ser- » vus, salutem et Spiritus Sancti consolationem. »

« Pateat vobis, qualiter hoc calamitoso tem- » pore, quo religio Christiana hæreticorum telis » impetitur, malorumque Christianorum perversis » moribus labefactatur; novus Ordo Præsbytero- » rum regularium sub titulo nominis Jesu, de » Urbe, quasi præsidiaria manus, Dei benignitate » submissus est; quem ob ingentes fructus, quos » lectionibus et concionibus publicis, privatorum » adhortationibus, confessionum audientia, cete- » risque sacris exercitiis, ac sanctorum morum » exemplis, in Ecclesia facit, Sanctissimus in » Christo Pater et D. N. Paulus Papa Tertius ap- » probavit, et confirmavit. Quod ideo vobis signi- » ficatum volumus, ne hujus Instituti novitate » seductus quispiam vestrum, commilitones suos » ad eumdem scopum tendentes, et a Deo sibi » suppetias missos, per errorem fortassis oppu- » gnet, eorumque detrahat institutis, quorum » fructibus gratulari, et pios actus æmulari de- » buerat. Credimus quidem vos omnes, utpote » cœlesti sponso dilectos et amicos, varietati, qua

» sponsa illius amicitur, non detracturos; sed eam
» potius charitate, quæ congaudet veritati, com-
» plexuros, et exosculaturos. Attamen, ne officio
» nostro desimus, omnesque motus præveniamus;
» Vobis omnibus et singulis præfatis fratribus,
» præsentium tenore mandamus, et auctoritate
» nostri officii, in virtute Spiritus Sancti et Sanctæ
» obedientiæ; ac sub pœnis arbitrio nostro taxan-
» dis, præcipimus, ne dicto Ordini, per Apostoli-
» cam Sedem approbato et confirmato, aut ejus
» institutis, ullo modo detrahere, aut de eo oblo-
» qui audeatis, tam in publicis lectionibus, ser-
» monibus, et congressibus, quam in privatis
» vestris colloquiis; quin potius eum, Præsbyte-
» rosque ejus, tamquam vestros commilitones ju-
» vare, et contra impugnantes protegere, et tueri
» studeatis. In quorum fidem et robur has fieri,
» et nostri officii Sigillo muniri jussimus. Datum
» Romæ, decimo Decemb. millesimi quingentesimi
» quadragesimi octavi. » F. Franciscus Romæus,
Magister Ordinis Prædicatorum, assumptionis nostræ anno tertio.

Cum ejusmodi litteræ gravissimæ nihil apud Melchiorem Canum proficerent; et excitatæ contra Societatem procellæ fragor Italiam pervasisset: Paulus III Pontifex negotium dedit antistitibus Conchensi et Salmanticensi, ut a privatis, et publicis obtrectationibus homines Societatis et instituta vindicarent : utque nullo habito personarum discri-

mine, severis Ecclesiæ censuris in eos animadverterent, qui moras aliquas inferrent collegii Salmanticensis initiis : demum, ut qui publice privatimve Societatis nomini detraxissent, violatam ejus famam resarcire, ac perperam dicta revocare cogerentur. Misit etiam Ignatius in Hispaniam luculentum ab Urbe testimonium de suis suorumque moribus. Curavit orandum per amicos Canum, ut consideraret divisum iri Christi regnum, si Christi Vicarius Societatem oppositam et inimicam Christo approbaret. Ex iis, quos Antichristi præcursores appellabat, duos a Paulo III delectos, qui Theologorum Pontificiorum in concilio Tridentino locum obtinerent; alios a doctissimis et sapientissimis Antistitibus, qui sententiam in eodem concilio, ipsorum nomine dicerent, destinatos; alium ex eadem Societate in Indiam, Legati Apostolici auctoritate ac nomine insignitum. Hæc omnia quamvis Melchiorem Canum a sententia non dimoverunt; ceteris tamen, quos seduxerat, eripuerunt errorem, præsertim cum Socios viderent, eadem constantia et pietate, munia pristina obeuntes. Discussis paulatim suspicionibus turbo teter in candidissimam lucem ac serenitatem est conversus.

Ejusmodi Salmanticenses turbas non parum consolati sunt incrementa progressusque trium illustrium Collegiorum, Conimbricensis, Vallisoletani et Complutensis. Domus Societatis amplior, et munificentiæ regalis insigne documentum, con- Collegiorum incrementa,

strui anno Superiori cæpta, suis paulatim numeris absolvebatur Conimbricæ. Regis liberalitatem provocasse fertur Simonis Rodericii virtus, pecuniæ propriique commodi splendide negligens. Ante aliquot annos, cum is de angusta re familiari Collegii Conimbricensis admonendum Regem censuisset, Princeps, qua erat animi magnitudine, et in Societatem nostram benevolentia, statim illi centum aureorum millia numerari jussit. Rodericius duo de viginti millia sumere contentus; reliquam summam regiis quæstoribus reddidit. Sub hæc trepidus de Turcarum Gaditano freto imminentium adventu rumor manavit. Illico de muniendis arcibus, de frenando modis omnibus hostium impetu, deliberatum, et conquisita quam tanti sumptus postulabant, pecunia. Tum Simon ea ipsa duodeviginti nummorum millia Regi restituit, privata incommoda publicis posthabenda dictitans, ac se suosque affirmans non modo ad vitæ ac rei familiaris tolerandas angustias, sed ad vitam ipsam Regi regnoque devovendam paratissimos esse. Rex oratione tam generosa delectatus, cum fœnore vicem paulo post reddidit, ac novam regalis collegii molem, multo quam ausi essent optare Patres ampliorem ædificavit. Domicilium tamen vetus omnino destitutum non est, ac diu geminum veluti collegium Conimbricæ Societas habuit : vetus, quod ab situ, superius; novum, quod inferius, et regium, vocabatur. Sed anno MDLXV cum Cardi-

nalis Henricus de Sacris Quæsitoribus Conimbricæ collocandis ageret, essetque facturus ingentem sumptum in extruendas illis ædes, Socii ultro collegium inferius, quod Regium, vel Artium, appellabatur, Cardinali obtulere. Acceptum est in loco non levis beneficii, simulque ex ærario Regio Patribus prolixe datum, unde vetus collegium augeretur, in eoque deinde solo Societas Conimbricæ stetit.

In eadem urbe, cum idem Joannes III omnium studiorum Universitatem, quæ celeberrimas Europæ superaret, aut adæquaret, moliretur; nulli pepercerat operæ ac sumptui, ut egregios litterarum magistros undique conquireret. Jam duodecim collegerat, præmiis ingentibus ac stipendiis propositis, qui Latinas, Græcas et Hebraicas litteras, cum eloquentia et humanitate nec non philosophia traderent, discipulique circiter mille ad eos audiendos convenerant. Verum misero temporum illorum fato, cum occulti doctores corruptique instillarent discipulis, in aureo bonarum artium scypho novitatis venenum; acciderat, ut in Conimbricensem Academiam irreperent magistri pestilentes, interque illos Georgius Buchananus, Scotiæ postea suæ funesta fax. Rex, de religionis integritate magis, quam de litterarum splendore sollicitus, Academiam postea tradidit Societati, cujus eruditionem, ab omni labe puram cognoverat, et priores illos doctores sua donatas mercede missos

Conimbricensis Academiæ,

fecit. Porro academiæ partem, traditam Societati, sic ab eadem gubernari deinde Rex Sebastianus voluit, nulli ut jus esset illam visitandi præterquam iis, quibus hæc a Præposito Generali provincia daretur. Cumque nonnihil contra tentatum anno MDLXXXIII fuisset, obstitit acriter Claudius Aquaviva, utque Sebastiani Regis beneficium sartum tectumque nobis maneret, impetravit. Placuerat Joanni III Sacræ munus Inquisitionis Societati mandare. Adduci non potuit Ignatius, ut assentiretur, tum ne hoc novum onus Lusitanis Patribus adderetur; tum etiam ne quid iste Magistratus domesticæ disciplinæ officeret, cujus legibus eum solvi oporteret, qui huic muneri præficeretur; denique ne in Societatem aditus aperiretur ambitioni.

Vallisoletani Collegii, Vallisoletani Collegii condendi auctor præcipuus extiterat P. Petrus Faber, qui anno MDXLV cum multa præclare Vallisoleti gereret, plurimosque ad studium sanctæ contemplationis ex Ignatii libello ac præceptis exerceret, non paucos adscripserat in Societatem. Illis idoneas ædes comparaverat Eleonora Mascarenia, quam S. P. Ignatius matrem Societatis appellare consueverat; easdem amplificavit Joanna, Caroli V mater *. Ultimam Collegio manum imposuit munificentia Didaci Romeri Episcopi Tlascalæ, in America Mexicana, cui fundatoris nomen est delatum anno MDXCVI. Cum autem in Congregatione Generali secunda statutum fuisset, ut singulæ, quoad fieri posset in singulis

* *anno* 1555.

Provinciis Professorum domus haberentur, Castellanæ provinciæ Patres suam censuere nusquam commodius et illustrius quam Vallisoleti stare posse. Placuit eam in ædibus collegii collocare; collegium vero in urbis regionem aliam, viciniorem academiæ, deportare. * Vallisoletanæ academiæ cura Societati tradita est anno MDLXXVII, academicis eam ultro deferentibus. * *anno* 1567.

Complutensis collegii primordia retulimus ad annum MDXLIII, quo P. Franciscus Villanova, Complutum ex Urbe veniens ita se probavit civibus, ut universorum et sibi et Societati voluntates devinxerit. Rudimentum quoddam collegii fuit usque ad annum hunc MDXLVIII, quo civitas de commodioribus ædibus Societati assignandis cogitavit: eæ demum anno sequenti sunt inventæ, studio potissimum et liberalitate doctoris Alphonsi Vergaræ. Multorum odia partim occulta, partim operta nascentem familiam exercuerunt; et nostrorum Rectorem Villanovam Sacerdos, ab eo de gravissimis flagitiis amice monitus, parum abfuit, quin, ferro nec opinantem adortus trucidaret. Erant in eodem Complutensi collegio duo excellentes viri Franciscus Onofrius, et Andreas Oviedus, is qui postea creatus est Patriarcha Æthiopiæ. Illi contemplationis ac solitudinis capti dulcedine, oraverunt Ignatium, ut sibi liceret per aliquot annos soli Deo et orationi vacare. Ita paratiores ad actuosæ vitæ ministeria venturos, quæ nemo scilicet

et Complutensis.

Pius error duorum Patrum.

possit sine gravi periculo et peccatis pluribus, saltem levioribus, exercere, nisi qui fuerit diuturnæ contemplationis usu corroboratus. Ignatius, ut erat in spiritibus internoscendis cœlesti quadam prudentia præditus, fraudem sensit, amborumque damnavit vota, quæ a susceptis vitæ rationibus abhorrerent, et homines utilitati proximorum destinatos ad privata commoda converterent. Utrumque fallebat cupiditas vitandi peccata etiam levissima, tamquam ea vitari cuncta possent in solitudine, aut metu leviorum culparum eximia charitatis officia essent prætermittenda : tunc enim præsto est auxilium e cœlo uberius, et charitas operit multitudinem peccatorum. Imo Gregorius Magnus non dubitat istos, qui studio contemplationis et quietis negligunt servire utilitati proximorum, reos tantorum criminum peragere, quanta impedire potuissent, si majorem salutis alienæ, quam propriæ tranquillitatis et commodi, rationem habuissent. (*Pastoral. cap.* 5.)

Caroli V. Edict. *Interim.*

At Carolus V restituendæ in Germania tranquillitatis publicæ cupidus, quam opinionum super religione dissidia gravius in dies turbabant, et Concilii Tridentini moras pertæsus, edictum seu libellum in Conventu Augustano promulgavit. Nomen edicto factum *Interim*. Erat enim quædam Fidei et civilis disciplinæ formula, quam Cæsar observandam Germaniæ proponebat interim, dum a Concilio Tridentino plenius omnia

statuerentur. Doctores catholici complures libellum exagitarunt. In eo multa permitti querebantur, quæ cum doctrina Ecclesiæ ac disciplina omnino pugnarent, ut matrimonia Sacerdotum, et Communionem sub utraque specie. Omnium acerrime P. Nicolaus Bobadilla declamavit. Erat in aula Cæsaris; proceribus catholicis carus, qui eo conscientiæ ac morum rectore utebantur : formidatus Protestantibus, quos nullo quiescere loco sinebat. Aperte invectus in edictum est : nimis indulgenter tractari hæreticos dictitabat; non conciliari pacem falsa concordiæ larva; sed bellum accendi. Hæc ille, et coram Cæsare. Graves sunt Principibus, quicumque ipsis adversantur, maxime autem victoribus et secunda utentibus fortuna. Bobadillæ libertatem ægerrime Cæsar tulit, eumque aula facessere, ac tota excedere Germania statim jussit. Romam reversum Ignatius parumper admittere cunctatus est, metuens ne rem egisset calidius, et cavens, ne quam Pontifici, aut Cæsari justam reprehendendæ Societatis, et susceptos pro divina gloria labores retardandi, causam daret : simul eo facto suos admonens, quanta Principibus veneratio debeatur. Bobadilla Germaniam repetere vetitus, varias Italiæ partes excoluit; Neapoli diligentem et fructuosam navavit operam, nec non in Minorensi, vicinisque diœcesibus; tum Polycastri, Bisiniani, et Rossani, ubi suspicio vehemens fuit, venenum a perditis ei datum : ut instar

Bobadillæ resistentia.

prodigii sit habitum, quod extremam perniciem effugerit. Verum simul ac emersit e morbo, eadem alacritate atque constantia, ad castigandos improbos rediit. Phaliscorum etiam fines, rogante ipso Antistite, lustravit : inde in Picenum, Commissarii nomine ab orthodoxæ religionis judicibus, et pravi dogmatis inquisitoribus destinatus perrexit : denique Lauretum adiit, auctore Cardinali Carpensi ut Clerum inspiceret, ibique diem supremum obiit *.

* *anno* 1590. *ætat.* 79.

Sylv. Landini facundia.

Varias quoque Italiæ partes, nec deteriore fructu, lustrare pergebat P. Sylvester Landinus. Fulginii quidem in Umbria, cum in funere cujusdam civis, quo consueverat ardore dixisset, ita populus exarsit, ut media in concione vocem aliqui tollerent, seque facturos imperata, et vitam emendaturos, multo cum gemitu conclamarent. Ex Umbria translatus in Carfagnanam et Etruriæ fines, sex eadem hebdomada septemve locis, ac sæpe ter in die suggestum conscendebat; ex quo descendens audiendis in sacro tribunali pœnitentibus vacabat. Ne vero succumberet oneri, Sacerdotes novem e circumjectis oppidis accivit, quibus adjutoribus, et sacramentorum administris, uteretur. Eadem sedulitate, ac felicitate rem gessit Camporegiani, et Carrægii, qua in urbe pacem composuit duas inter factiones, per quas cives quinque et quadraginta, in iisque tres sacerdotes, mactati fuerant, tanta impunitate ac licentia, ut

per sacras ædes stricto gladio volitarent armati. Salmeron Veronam, Paschasius Bononiam, alii alias curabant urbes. Ignatius ut anima per totum corpus fusa, carissimos filios verbis, precibus, exemplis regebat. Ad eum, si quid occurreret majoris molis, referebatur. Itaque cum duas inter civitates, Tibur et oppidum S. Angeli, grave dissidium ortum esset, causa tota singulari ejus prudentiæ permissa est. Tantumque apud Tiburtes, et apud Margaritam Austriacam, octavii Parmensis Ducis conjugem, cujus erat oppidum S. Angeli, auctoritate atque industria perfecit, ut armis tandem, quæ mutuus furor in exitium utriusque populi acuerat, projectis, optatissima concordia sanciretur.

Exceperat Tibure Ignatium, parumper ibi commorantem, Ludovicus Mendoza, Societatis amicus; et hanc unam hospitii mercedem expetierat, ut Societas in oppido Tiburtino collocaretur, eique Sacram Deiparæ, quam habebat extra muros, ædem, cum hortis et domo, dedit: Quia tamen locus studiosæ juventuti, propter longinquitatem, non parum incommodi afferebat, collegium in interiorem Urbem postea translatum est. Socii duodecim Messanam ab Urbe sunt missi; quos Ignatius ad Pontificem Paulum deduxit. Pontifex humanitate solita religiosum agmen excipiens: *Pergratum*, inquit, *nobis est videre vos, filii carissimi. Amamus enim Societatem vestram ex*

Collegium Tibure, Messanæ,

animo, ut qui cognitam habemus virtutem ejus et recte facta; et quantum, quibuscumque in terris adhuc versata est, fructum fecerit. Vos quoque, quod fore confidimus, eodem tenore pergite, et existimationem de vobis conceptam augete; neque solum regnum, ad quod tenditis, sed etiam Ecclesiam universam, vitæ vestræ probitate atque orationibus adjuvate. Nos vero, pro nostro munere, ac singulari erga vos clementia, numquam protegere vos et Societatem vestram, ac fovere desistemus. Gratias ingentes egere Socii, et postridie Neapolim, inde in Siciliam trajecerunt. Panormitanis non minor incessit cura potiundæ Societatis. Urgebat opus Proregina Eleonora; nihilominus ante annum sequentem confectum non est, et octavo Cal. Decemb. anni MDXLIX magno apparatu lycæum est apertum. Collegium in alias migravit ædes anno MDLXXXIII. In iis vero ubi stabat, instituta est Professorum domus.

et Panormi.

Hæc B. Patri nuntiata magnam illi voluptatem attulere. Cum autem de Xaverio, ejusque in India Sociis, et imitatoribus PP. Barzæo, Criminale, Henricio, et aliis; de ubertate messis Evangelicæ, ab iis collecta, litteras in Urbem perlatas legit, dici non potest, quibus incesserit lætitiis vir divinæ gloriæ cupidissimus. Xaverius in Japoniam proficiscens Socios in India complures reliquerat, qui vices obirent suas, et Christi regnum proferrent.

P. Gasparis Barzæi actuosa virtus.

Enituit inter illos Gaspar Barzæus, a S. Franc. Xaverio missus in Armuziam Insulam ipso in aditu faucibusque sinus Persici, inter Persidem a Septentrione, et Arabiam a meridie. Tota sterilis est, et inamœna. Nullæ in campis arbores, volucres nusquam aut feræ : mortalium tamen multitudo innumerabilis huc undique ad mercimonia confluebat. Hinc fœda colluvies scelerum, summa rerum divinarum inscitia, impunitas et licentia peccandi publica. Talem nactus Armuziam Gaspar, in eaque se continere triennium a Xaverio jussus, domicilium sibi delegit in Xenodochio : mox Præfecti Lusitani, procerumque voluntates sibi adjunxit, et ad colendam aperte pietatem excitavit, ut ceteris exemplo prælucerent. Inde ad multitudinem conversa cura : unum se in Christianos, Mahometanos, Hebræos, ethnicos, pueros ac senes, ægros ac valentes, milites et cives, veluti divisit, omnibusque se fecit omnia, *ut omnes faceret salvos.* Intemperantiam vagasque libidines coercuit, sustulit inimicitias, iniqua commercia rescidit; inveteratis demum, ac pene insanabilibus animorum morbis medicinam fecit. Exstat proprius de rebus ab illo gestis commentarius, in quo viri sanctitatem, ac Divinam opem, piis ejus laboribus non sine prodigiis obsecundantem, licet agnoscere. Mirum illud in primis accidit, quod Mahometis cultores plurimos (quæ secta præpollens in istis partibus est, ac sane pertinax),

eorumque velut antistitem, tanta in vulgus opinione sanctitatis, ut qua pedes aqua lavisset, hanc Armuziæ Rex ipse religionis causa potaret,
* *anno* 1550. ad Christum traduxerit *. Pervaserat in Persidem et Arabiam Gasparis fama, in easque regiones nunciis ac litteris evocabatur, cum Xaverius Japoniam ingressus, hunc in Indiam evocavit. Quare Goam veniens, Consalvo Rodericio, qui Armuziam excoleret, relicto, Indicæ Provinciæ a Xaverio
* *anno* 1552. præficitur. Mortuo Xaverio *, Goæ Barzæus restitit tanta civium voluptate ac profectu, ut tria sæpe, quatuorve hominum millia convolarent ad eum audiendum, essetque omnibus persuasum, vix decem strenuos operarios sufficere posse laboribus, quos ille unus exhauriebat. Illis demum est immortuus XV Calend. Novembris, anni MDLIII, exactis in Societate non amplius septem annis, quos in India fere omnes transegit.

Armuziæ opponitur ad ortum, lato mari interjecto, regnum Guzuratæ, sive Cambaiæ. In eo supra Goam non procul Surata, visitur Bazainum, Lusitana civitas, et commercio dives. Ibi collegium ad instituendos indigenos, a Rege Lusitaniæ erectum erat, ac Sociis oblatum, qui cum paucitatem suam excusassent, Franciscanis fuit commissum. At illi cum onus a suis institutis abhorrens moleste ferrent, coacta est illud Societas, assentiente Xaverio, et Antistite Goano, subire hoc anno MDXLVIII.

Bazaini Collegium conditur.

Per idem tempus Goa profectus est ad Regem Tanoris plenius erudiendum P. Antonius Gomius. Est Tanor caput regni cognominis, oppidum maritimum, medio fere Goam inter et Comorinum spatio. Rex assiduo Lusitanorum usu, crebrisque de religione sermonibus incitatus, baptismum sæpius expetierat. Quominus eo statim donaretur, bella cum vicinis Regibus per annos plures gesta impediverant. His compositis baptizatus est; verum occulte: scilicet metuens, ne quis a populo tumultus oriretur; cui dum gratificari studet, ethnicus videbatur palam, domi Christianus erat. Gomius candide illi significavit, adorandum esse Deum in *spiritu et veritate* * nullum relinqui locum impiæ simulationi, cum agitur de religione vera; qui Christum *erubuerit* futurum, ut eum vicissim Christus *erubescat, cum venerit in majestate sua* *. Credidit Rex, et animæ salutem regno suo potiorem ducens, Christum aperte ac solum colere decrevit. Suboluit ejus consilium Tanorensibus. Regem variis rationibus, minis etiam ac precibus, conati frustra deterrere, comprehendunt, et in munitissimam regni arcem includunt. Evasit, deceptis custodibus, et transmisso flumine, adnatavit ad paratas Lusitanorum naves, quibus exceptus, et Goam devectus, Fidei professionem in maximo urbis templo edidit, applaudente populo, Prorege atque Antistite congratulantibus.

Rex Tanoris baptizatur.

* *Joan. IV.*

* *Luc. IX.*

Faustus in Ceylano labor.

Non minore gloria religionis Xaverius Japoniam petens, Candei Regem in insula Ceylano, ad Christi regnum adjunxit. Ceylanus ab eoo latere promontorii Comorini dirimitur angusto freto: Vix ullus est oriente toto locus opum omnium ac deliciarum ditior. Onustæ perpetuis floribus ac fructibus arbores, amœnitatem veris autumnique copiam jucundissime sociant. Aurum, gemmas, crystallum, montes parturiunt: casiam, ebenum, cinnamonum dant sylvæ. Aër corporibus æquissimus, maxime senibus; quodque mireris in tanta Æquatoris propinquitate, (neque enim distat amplius sex gradibus), temperatissimus. Efficiunt hanc temperiem amnes crebri, fontesque; tum imbres, singulis mensibus decidere soliti. Ceylani rex præcipuus, cujus regia urbs Jafanapatanum, fratrem regno spoliaverat, ultoresque Lusitanos timens, atrox bellum Christianis omnibus indixerat, quorum ingentem numerum in Manaria suæ ditionis insula, diris modis peremerat *. Xaverius pertinere ad honorem religionis existimans, ne sceleratus princeps inultum crimen ferret, egerat cum Lusitanis, ut bello, terra marique peteretur. Postea nihilominus rem via mitiore tentandam judicans, Ceylanum ipsemet adiit. Exscensione in regnum Candense facta, convenit Regem, et Christianum fecit. Inde ad Jafanapatani Regem progressus, exprobravit crudelitatem, et hominem barbarum eo denique adduxit, ut promitteret se

* *anno* 1544.

nomen Christo daturum, si pacem et amicitiam secum jungerent Lusitani, darentque militare præsidium, quo se contra populi sui factiones tueretur. Utrumque illi præstiterunt. Improbus, Xaverio digresso, fidem datam fefellit.

Tentatus anno MDLI aditus est in aliam Ceylani partem, cui nomen Trichinamalo. Ejus regi adhuc puero diadema fuerat ereptum scelerati dynastæ dolo, qui non contentus legitimo principi coronam rapuisse, vitam quoque illius attentabat. Rex octennis a proceribus quadraginta servatus, et ad vicinos Paravas in oram Piscariam abductus est. Paravæ opem, quæcumque sita in ipsis esset, ita promiserant, si rex Christianam legem, quam ipsi pridem sequebantur, coleret. Itaque datus est instituendus Patri Henricio, qui oræ Piscariæ neophytis præerat. Nobiles quadraginta cum ipso baptizati sunt. Moræ nihil fuit, quin conscriberent copias Paravæ, promissi memores : et eos in Ceylanum exponerent. Verum hostis non imparatus, et viris armisque prævalidus, repulit subeuntes, et magna clade affectos domum remigrare compulit. Rex puer, Goam delatus, atque a Lusitanis in disciplinam Patrum traditus, adolevit in collegio Societatis, meliora resarciendæ calamitatis tempora opperiens.

Anno MDLII (ut quæ pertinent ad hanc insulam eodem filo pertexamus) unius e Ceylani Regibus (nam ingens insula dominos plures habet),

Legatus cum venisset Goam, ut negotia quædam gravis momenti expediret, familiari Christianorum usu et cohortatione, veritatem Divinæ legis agnovit, et in eodem Goæ collegio baptismate initiatus est. Speravit Indiæ prorex ipsum regem in Christi ditionem redigi posse, si aditus ad eum pateret. Duos itaque Societatis Patres legato redeunti comites addidit. Eorum labor quamvis Regi parum profuerit, cujus tenebricosa flagitia lucem Evangelii respuebant; Lusitanis tamen perquam opportunus accidit. Qui enim præsidii causa in arcibus Lusitanorum ibi excubabant, implicati Saracenorum familiaritate, illorum vitia hauserant: castigata est appositis concionibus, et sacramentorum remediis licentia; meliores inducti mores, ethnicique non pauci Christi legem, ut naturæ legi maxime consentaneam, amplecti non dubitarunt. Invitati ab illis Socii, ut sedem in insula perpetuam ponerent, non poterant adduci tamen, ut civium audirent vota, ne facerent ægre Franciscanis, qui veluti possessionem insulæ priores adierant, et apostolici muneris partes omnes egregie tuebantur. Ex eodem nihilominus Ordine Franciscano Antistes Cocinensis, instantibus Lusitaniæ rege, prorege Indiæ, et Archiepiscopo Goano, Societati locum in insula voluit esse anno MDCII: cumque multis operariis utiliter occupandis hæc Domini vinea satis magnum et uberem campum aperiret, placuit certos Franciscanis, ac

Societatis hominibus fines limitesque circumscribere, intra quos utrique se continerent, concordiæ facilius alendæ causa. Eodem anno unus e nostris Cardivam (est exigua prope Ceylanum insula) Christi cultoribus implevit. Statio nova Societati accessit anno MDCXI, in ea Ceylani parte, quam Settecorlam vocant.

Ingressus Societatis in Africam.

Littorales quasdam Africæ insulas anno MDXLI Xaverius in Indiam proficiscens, lustraverat: Africam ipsam Societas ante annum MDXLVIII ingressa non est. Lusitani urbes aliquas obtinebant in extremæ Mauritaniæ parte, quam Tingitanam provinciam veteres appellarunt. Earum urbium præcipua erat Septæ, ad fauces Herculei, seu Gaditani freti, prope montem Abilam. Ejus Præfectus nonnullos de Societate postulaverat. PP. Joannes Nunnius, et Ludovicus Consalvius, ad eam delecti expeditionem, brevi perfecerunt, quemadmodum ad Simonem Rodericium Præfectus ipse scripsit, ut cives, qui pravitate morum Saracenos ipsos superabant, monachis præstare viderentur. Tituanum haud amplius quindecim passuum millibus Septis distabat, Saracenæ ditionis. Huc se Patres contulere, cum bona Saraceni præfecti venia, ut captivos partim redimerent, partim præsidiis salutaribus instruerent: erant enim in ea servitute Christiani ferme sexcenti e quibus fructum, quem maxima cupiebant, ceperunt. Nec nihil profecerunt apud Judæos palam

disputando, et obstinatis mentibus veritatem ingerendo. Nunnius aliquando synagogam ingressus, concertare cum Rabino cœpit. Altercatione orta, multi ejus generis confluxere, ac præsertim senior, qui sapientis nomen inter eos invenerat. Pater in medio consessu docere instituit e sacrorum Vatum oraculis, Messiam, qui Jesus-Christus esset, advenisse : sibilis, clamore ac tumultu perstrepens turba, discordem cœtum solvit. At Senior, cum Nunnium sine arbitris convenisset, non cunctatus est fateri, sibi esse omnino persuasum quodcumque docuisset : expectare se temporis opportunitatem, dum in eum evaderet locum, ubi talis apparere tuto posset, qualis intus erat. Patres in libertatem vindicarunt plurimos, persoluto rite pretio, aliorum miserias variis auxiliis levaverunt.

Expeditio in Regnum Congi suscepta.

Eodem anno altera expeditio suscepta est in regnum Congi. Jacet in Africæ littore occiduo, et ab ipso Æquatore, cui ferme subest, in meridiem procurrit. Regio non plane insalubris est, nec immodicis caloribus laborat. Quo tempore sol, propius ad nos et Boreales tractus accedens, æstatem affert; hyems illic, a Martio ad Augustum usque, tenet; non quidem imbribus fœda, sed crebris agitata ventis, nec molesta frigoribus : nudi quippe ambulant indigenæ pube duntaxat velata. Carent iidem tritico : panem e grano quodam conficiunt; vini fungitur vice, liquor exsudans e palmis, aut e palmulis expressus. Plures paucio-

resve pro opibus alunt pellices; neque (præter regem, proceresque paucos) ullas habent uxores matrimonio rite junctas : nihil recondunt in diem posterum ; nihil de futuro solliciti, hebeti incuria, non amore virtutis. Mortuos non vere mortuos, sed alio translatos affirmant, nec eis quisquam videtur extingui, nisi qui obtruncatur in acie. Pari inscitia sibi persuadent, se nihil in vita delinquere : cumque iis ad baptismum præparandis præciperent Patres, ut ex anteactæ vitæ peccatis dolorem caperent, respondebant, nihil a se factum, cujus ipsos deberet pœnitere. Detectum fuit regnum Congi a Lusitanis sub annum MCCCCLXXXV, et ad Christi sacra per Dominicanos traductum. Extinctis Evangelicis cultoribus, gens ad pristina vitia erroresque deflexit. Cujus vicem miseratus Lusitaniæ rex Joannes III ac religionis tuendæ cupidus, quam sui majores illuc intulerant; homines e Societate ad præclarum opus postulavit. Delati regiam in Urbem, et a Rege comiter accepti sunt. Processit illis obviam, et manum osculandam præbuit. Id honoris sacerdotibus solis habet. Cum vero legatos admittit, eburneæ insidet sellæ. Caput operit mitra e palmæ foliis confecta, opere subtili et eleganti; corpus, a capite ad pubem, nudum, a pube ad pedes usque bombycina veste tectum. Lævum brachium ornat armilla; equina cauda pendet ex humero. Id Regum insigne. Quinquaginta hominum millia dicitur habere ad nutum

semper intenta, et vectigalibus peramplis ditescere. Pueris ferme sexcentis, quos Patres statim erudiendos susceperunt, quotidianam suppeditavit annonam. Alii e nostris populum Christianis imbuerunt moribus, et a flagitiis erroribusque liberarunt. Unus intra quintum mensem mille et septingentos indigenas; trecentos alter, tertius quadringentos ad Christum adjunxit. Ex urbe in pagos egressi, magnam vim hominum salutaribus expiarunt aquis, ac templa variis in locis excitarunt. Rebus ad hunc modum optime constitutis plurimum obfuit Regis, verbo Christiani, non item re, levitas in audiendis adversus Patres calumniis, improbitas in retinenda morum perversitate. His auditis Legatus a rege Lusitaniæ venit cum PP. Cornelio Gomio, et Fructuoso Noguera, ut
*anno 1553. amice hominem officii commoneret *. Adeuntes accepit truci vultu, malevolorum sermonibus occupatus. Nogueram haud ita multo post morbus abstulit. Neque commodior Cornelii valetudo erat: tametsi plus ei Regis inconstantia, quam ægra valetudo molestiarum exhibebat. Quippe Christianos insectari aggressus; subsidia, Sacerdotibus dari e fisco solita, negavit, ac populum usu eorum colloquioque prohibuit. Oratus, ac leniter objurgatus, quædam promisit, atque illud in primis: daturum se operam, ut contubernium e nobilibus regni pueris conflaretur, ubi una cum litteris, Christiana pietate imbuerentur. Nihil præstitit. Ad

extremum in pristinas suspiciones revolutus, atroci edicto albos omnes (sic Europæos illic vocant) jussit regno facessere *, militibus insuper missis, qui repugnantes per vim exigerent. Nostros, anno MDLXXXIX revocavit novus Congi rex, Christi cultor, cujus opem contra perduellium civium factiones expertus, gratum se divinis beneficiis, tuenda deinceps ac propaganda religione, præbuit.

* *anno* 1555.

Annus Christi 1549 : Societatis 10.

Brasiliæ notitia, et in eam aditus.

Has primum fruges Africa dedit : uberiores datura in Angola, Guinea, Monomotapa et Æthiopia. Restabat America Orbis terræ quarta pars adeunda Societati. Hanc, Deo favente ingressa est anno MDXLIX, cum in Brasiliam venit. Brasilia, pars Americæ Australis ab altero infra Æquatorem gradu, et ostio fluminis Amazonum, ad sextum usque et trigesimum, ubi flumen Argenteum in mare devolvitur, meridiem versus excurrit. Clauditur ab ortu et septentrione oceano; ab occasu Perua, a meridie Paraquaria; detecta fuit a Lusitanis anno MDI, cum Petrus Alvarus Capralis in Indiam navigans, tempestate delatus fuisset in hanc Americæ partem quinto Nonas Maii, quo die Inventionem adorandæ Crucis Ecclesia recolit. Hinc regioni factum initio nomen Sanctæ Crucis. Postea tamen usus evicit, ut a rubro ligno, infectoribus perutili, quod Lusitani Brasilum appellant, et frequens in ea nascitur, Brasilia vocaretur. Regio

multis locis amœna est : fluviis fontibusque statens; sacchari admodum ferax. Pro pane utuntur sativis radicibus, quas mandiocas appellant, in farinam redactis. Ex iisdem, aut ex milio et pomis conficiunt vinum, quo perdite ac passim inebriantur. Ominibus et auguriis ducuntur; quibus venditandis harioli et præstigiatores quæstuosam artem exercent. Vivunt in diem, inediæ patientissimi, cum deest cibus; si annona suppetat, a primis tenebris, ad multam lucem, convivia et intemperantissimas compotationes producunt. Amicos ad se peregre venientes profusis excipiunt lacrymis, viæ laborem et incommoda miserantes. Sparsis mapalibus, et pagatim habitant. Uxores quam facile accipiunt, tam facile repudiant. Bella non ratione sed libidine; odio, ulciscendi cupiditate, suscipiunt : hostes captos saginant, epulisque adhibent. In retibus a terra suspensis cubant, ut sint ab anguium et ferarum incursu tuti. Mortuos infodiunt humo : escas tamen tumulis apponunt, quibus illos vesci putant.

Cum Lusitaniæ Rex Joannes III instructam classem, Prætore Thoma Sosa, in Brasiliam mitteret hoc anno MDXLIX, ut in illo novo Orbe urbem conderet, remque Christianam amplificaret, adjuncti sunt ei de Societate sex Lusitani. Qui profecti Olisippone Calendis Februarii, Brasiliæ portum die sexto et quinquagesimo tenuerunt. Ac primo quidem præcelsa cruce in patenti loco

constituta, Religionis trophæum erexerunt in Baya Omnium Sanctorum. Ita vocari placuit maritimum sinum, in quo posita urbs primaria, et civitas Salvatoris appellata, sive Soteropolis. Deinde templum Mariæ Virgini Adjutrici Patres suis manibus, ipsimet opifices, architecti et cœmentarii excitarunt. Perceptis linguæ barbaræ primoribus elementis, toti ad Brasilos partim cicurandos, partim erudiendos incubuerunt. Plurimum exhibuit negotii feritas indigenarum ad cædes prona, et humanis carnibus saginata, in crapulam veneremque projecta: ad hæc, incerta ingenia et mobilia, sententiam, uti domicilium, mutare solita; dedita veneficiis, et e præstigiatorum fabulis mendaciisque suspensa. Hæc omnia obstabant, quominus labori, licet assiduo et improbo, fructus responderet. Itaque ad ætatis teneræ culturam suas vigilias nostri contulerunt. Pueri, non solum iis inculcandis, quæ a suis magistris audierant; sed etiam exemplo, plurimos permoverunt, qui cum essent maturi baptismo, solemni pompa sunt baptizati. Ea fama excivit finitimos, qui ab agresti atque errabunda vita in vicos et oppida traducti, condere sibi leges, et jura describere cœperant. Non cessabant Patres obire tuguria, obligare barbaros beneficiis et comitate, dicere ad populum in frequentibus pagis. Veneficorum fraudes ac præstigias aperire, famamque et auctoritatem perditissimorum nebulonum infringere. Illorum

antesignanus quidam cum se Deum esse, ac Deo prognatum, jactaret; non tulit vesani capitis impietatem P. Emmanuel Nobrega, et advocata concione, ita hominem confutavit, ut is tandem convictus ac fractus non obmutuerit modo, verum etiam inter catechumenos fuerit cooptatus. Exemplo permoti, primarii quoque viri ad audiendum Dei verbum concurrebant, parati ad amplectendam Christi fidem, nisi eos matrimonii Christiana lex deterreret, ipsorum libidini et moribus inimica. Sic bonæ serebantur in Brasilia fruges, dum pestiferæ in Germania vellebantur.

Ingolstadii Theologiam tradunt Salmeron, Jaius et Canisius.

Guillelmus Bavariæ Dux omnes in suam regionem aditus hæresi frustra conatus intercludere, cernebat irrepsisse virus in academiam Ingolstadiensem, atque inde in civitatem universam derivatum. Petiit ab Ignatio professores litterarum per quos academia restitui pristinum in splendorem et integritatem posset. B. Pater in omnem amplificandæ ac tuendæ religionis occasionem intentus, tres doctissimos e Societate viros continuo submisit, Jaium, Salmeronem et Canisium : utque doctoris gradum susciperent Bononiæ, imperavit; quo plus ad Germanos, præsertim hæreticos, doctoris nomen in suo Luthero venditare solitos haberent auctoritatis. Docendi initium 6° Calendas Decembres Ingolstadii factum, et jacta per eam occasionem collegii fundamenta. Nec tamen plus anno ibi restitere Salmeron et Jaius. Jaium enim

Cardinalis Augustanus a Pontifice impetravit, ad rem catholicam procurandam in comitiis imperii, quæ habebantur Augustæ : Salmeronem Veronensi Præsuli Pontifex idem concessit. In utriusque locum PP. Gaudanus et Schorichius ab Ignatio subrogati, ad Canisium accessere, qui solitis theologicæ scholæ exercitationibus conciones Germanicas addidit, tam frequenti omnium ordinum concursu, nullum ut templum capiendæ multitudini par esset; nec minore fructu, quippe cum cernerent concionatorem e suggestu in custodias, in nosocomia, in pauperum domos descendere. Ita enim fit, ut is optime doceat, qui exemplo simul et verbo docet. Credidit universa civitas majorem ex homine sibi, ut loquebatur, divinitus dato, utilitatem capi posse, si ad tantam eruditionem et virtutem auctoritas, ac titulus insignis accederet. Igitur Academiæ Rector, quantumvis reluctans et invitus creatur. Non fefellit spem civitatis. Ac primo quidem libros hæreticorum, et quoscumque reperit corrumpendis adolescentum moribus opportunos, ab omnibus gymnasiorum scholis, etiam infimis, removit; quorum in locum idoneos ad insinuandam cum litteris doctrinam catholicam, substituit. Deinde jurgia et cruentas interdum academicorum inter se dimicationes, ludos intempestivos, atque alia, quibus juvenes depravantur, vitiorum irritamenta sustulit. Quæ vero visa sunt altiores egisse radices, quam ut facile ac subito

extirpari possent, ea collegit in commentarium, negotiumque dedit academiæ primoribus, quorum partes erant communi scholarum utilitati consulere, ut rationes ad ea paulatim emendanda maxime appositas disquirerent. Sic noxam officii remissius gesti et invidiam severius administrati fugit. Ad vulgi mores emendandos inde transgressus, primum animos demereri studuit officiis omnibus Christianæ charitatis; tum vitiosas consuetudines leniter exagitare, illarumque turpitudinem ac detrimenta ostendere. Inoleverat precandi tanta negligentia, ut prope puderet orantes in templo conspici. Demonstravit facilitatem precationis, emolumenta, dotes, ac necessitatem. Magnum in contemptum res divina pariter venerat : oscitans et aliud agens multitudo intererat sacrosanctis mysteriis : plerique, hostia cœlesti ad adorandum sublata, dilabebantur. Docuit quanta Christiani sacrificii dignitas et vis esset, gravemque incussit violatæ religionis metum, adeo ut omnes pie ac reverenter deinceps ad finem usque perstarent. Sic prudentia, vigore ac lenitate, pristinum religionis decus Ingolstadii restituit : nec minorem integritatis et abstinentiæ laudem tulit, cum numerari consuetam rectoribus magistratu abeuntibus pecuniam omnino repudiavit. Non segnius oblatum Procancellarii, per eos dies demortui, locum recusavit. Præcipuum hæc dignitas splendorem, nec modicos fructus habet, tum quod est

perpetua, tum propter opima stipendia, et adjunctum illi locupletem canonicatum. Hæc omnia eo diligentius recusavit Christi discipulus et imitator, quo erant magis ampla et quæstuosa. Laudavit Ignatius, neque ullis academiæ precibus, aut litteris, quas Albertus Bavariæ Dux, Guillelmo parenti nuper extincto suffectus, gravissimas ad eum dederat, adduci potuit, ut munus hoc deferri Canisio pateretur. Id solum annuit, ut ad tres quatuorve menses, si necesse foret, citra honorum insignia et stipendia partes istas et locum impleret.

P. Criminalis primus pro Christo cæsus in India :

Hactenus sudoribus suis et ærumnis tutata religionem Societas erat; hoc primum anno sanguinem illi suum impendit. Sociis apud Paravas præerat P. Antonius Criminalis, qui post exhaustos Christi causa toto quadriennio labores maximos, dum commissum sibi gregem ab ethnicorum furore defendit, ab iis crudeliter est necatus hoc anno MDXLIX, ætatis XXIX, princeps e Societate qui sanguinem pro religione fuderit. Italus erat, anno supra sesquimillesimum altero et quadragesimo, Societati adjunctus a S. Ignatio, et in Indiam ad Xaverium missus. Totam illam Comorini plagam amplius ducenta passuum millia patentem, ardentes arenas pedibus nudis calcans, concursabat singulis mensibus, insigni animarum fructu; quo irritati Brachmanes, et idolum celebre, a Christianis habitum ludibrio, molestissime feren-

tes, Badagas vicinos populos ad arma vocant; qui statim impetum in pagos Christianorum faciunt, a munimentis et militibus imparatos. Adventu hostium cognito, incolæ alii in montes et avia diffugiunt, alii portum et lintres occupant : mulieres parvulos complexæ liberos, cuncta lamentis et ululatu femineo complent. P. Criminalis imbellem turbam in cymbas propere imponendam curat; cumque scapham Christiani offerrent, qua se periculo subduceret, pergebat ille caro gregi consulere, oblitus sui. Hostes interim in portum irruunt, cæsisque Lusitanis aliquot, effundunt se in littus ad cædem et prædam. Antonius, ut re desperata, in genua procumbit ad orandum. Oranti Saracenus hasta latus apertum haurit : reliqui vestibus jacentem spoliant. Nudus vulneratusque, reptabat in ædem sacram, cum rursum duplici confossus plaga, jugulatur. Vir fuit insigni probitate, quin adhuc vivum Xaverius, hominum et virtutum peritus æstimator, appellare sanctum consueverat, ejusque similes ex Europa operarios expetere. Inter assidua bella finitimorum regum, summoque in odio sacerdotum ethnicorum, et Mahometanæ impietatis, in summa rerum omnium inopia, multas et magnas propter Christum et Evangelium molestias, multa incommoda toleravit. Tantum vero tot inter ærumnas intercedebat illi cum Deo commercium, ut quotidie genibus flexis, tricies aut quadragies oraret.

Hic agere gratias Christo libet, quod honore isto Societatem suam dignatus sit, ut non solum pro ejus nomine pati, sed etiam mori, primum huic suo militi, deinde tam multis, hunc velut antesignanum secutis, concesserit. Adsunt enim Socii sex in eadem India, circa id tempus ab hostibus religionis interfecti. et alii sex de Societate.

Eorum primus Nunnius Riberius, Lusitanus, a Francisco Xaverio missus fuerat in Amboinam, ubi sesquianni spatio duo amplius hominum millia salutaribus aquis tinxit: bis naufragium fecit: Saracenorum insidias, qui eum in tugurio suo comburere tentabant, non semel effugit: ab iis demum dato veneno, depastis intestino incendio præcordiis, die septimo consumptus est *. P. Melchiorem Consalvium, in eadem Lusitania natum, cæca veneni vis paulo post * abstulit, quod illi miscuerant ethnici, Fidei ac virtutis odio. P. Ludovicus Mendius Christianos erudiebat in æde sacra. Irruunt barbari, et perdere pastorem cum ovibus injecto igne parant. Erumpens per medium incendium Sacerdos intrepidus gravi vulnere dejectus est, et præcisa cervice, trucidatus. Incidit illius obitus in annum MDLII: qua die, quove in oppido, incertum. Multo sunt incertiora omnia de duobus nostris Sacerdotibus, quos in Salsettano tractu lapidibus obrutos ab ethnicis quadriennio post Societatis monumenta declarant *. Illorum nomina, diem et locum ipsum

* *die* 22 *Aug.*

* *anno* 1551.

* *annuæ litt. Prov. Indiæ,* 1594.

cædis, tacent. Patrem Paulum a Valle idem, qui Ludovicum Mendium turbo, et furor ethnicorum oppressit. Vulneribus, vinculis, fame debilitatum neophyti ab impiorum potestate liberaverant, ac Punicale detulerant; ubi ærumnis confectus obiit anno MDLII. Tres annos in ora Comorinensi traduxerat ea sedulitate eoque successu, qui virum egregia virtute præditum, qualem eum Xaverius fuisse testatur, decebat. Hic primus Indiæ campus sanguine Societatis infectus fuit.

Japoniæ conspectus.

En tibi Japoniam, et alteram longe nobiliorem arenam, in ultimis Asiæ exortivæ finibus, quam non quinque sexve, sed amplius octoginta ex eadem Christi Societate pugiles cruore suo conspergent, et gloriosa nece illustrabunt! Japoniæ nomen tribuitur plurimis insulis, quas angusta dividunt freta, in conspectu Sinensis imperii, quod illis ad obeuntem solem opponitur. Tartariam spectant a Septentrione; Philippinas insulas a meridie. Olim Japoniæ toti præerat unicus imperator, quem Dayrim vocabant. Is ante annos admodum quadringentos administro regni præcipuo, et summo quodam rei bellicæ præfecto, utebatur, cui nomen erat Cubo. Ille Dayrim, voluptatibus et otio deditum imperio spoliavit; ceteros dynastas, qui regium sibi quisque jus arrogaverant, partim acie victos, regnis exuit; partim sibi vectigales fecit. Demum nomine suo addidit voculam Sama, quæ dominum significat, eamque impera-

tores Japoniæ vulgo addunt proprio nomini, Daifusama, Taicosama, etc. Dayris imperio spoliatus nomen istud, et inanem quamdam regiæ dignitatis umbram retinuit, censeturque nobilitatis caput. Populus mercaturam exercet magna fide. Litibus, lectoribus et causidicis universa gens caret : si quid ortum est controversiæ, dirimitur a patre familias, aut loci dynasta, cui summum jus in suos, ac sine provocatione ad alium judicem est; uti et parentibus in liberos, et dominis in servos. Graviora crimina non reorum dumtaxat exitio, sed totius familiæ, affinium et amicorum puniuntur. In proceres, quos neci destinat sic animadvertit imperator. Ædes illorum armato milite cinguntur, daturque reis pugnæ vel mortis voluntariæ optio : si pugnam malunt, miles jaculis primum et sagittis eminus, deinde gladiis cominus rem gerit, eosque cum omni familia, propinquis et amicis, contrucidat; ipsi, ac posteri si quis effugiat, perpetua notantur infamia. Si voluntariam eligant necem, conceditur iis in beneficii loco, ut sibi ventrem ferro scindant. Amici, ventre pariter scisso, supra mortuum corruunt. Idque mortis genus honestum in primis et nobile ducitur, ac filiis integrum in paterna bona jus manet. Tota gens honoris mirum in modum appetens, eo posteriora ducit omnia. Sectatur etiam constantiæ laudem, et turbidis in rebus, æque ac lætis, admirabilem animi æquitatem præ se fert.

Japoniæ superstitiones.

Quod spectat ad Japoniæ religionem, Deos triplicis generis colebant, cum eos primum adiit Xaverius. Primo diabolum, cujus infestam vim cum avertere penitus non possent, mitigare saltem sacrificiis et precibus conabantur; deinde majora quædam numina (Fotoques vulgo vocabant) a quibus bona, quæ mortuos beare possunt, postulabant : in iis locum principem Xaca et Amida etiamnum obtinent. Postremo numina quædam minoris ordinis et gradus, a quibus bona hujus vitæ, valetudinem, opes, et alia id genus hodieque flagitant, Cames appellare solent. Religionis apud Japones administri sacerdotesque Bonzii nominantur, hominum genus turpe, libidinosum, avarum : magno tamen apud omnes in honore, quia soli putantur callere artem placandorum Numinum; deinde, quia horrenda flagitia specie pietatis et austeritatis obtegunt; postremo, quia ex iis nonnulli regia stirpe, plerique claris orti sunt parentibus, qui e pluribus liberis aliquos vulgo inter Bonzios cooptant. Omnes vero circumfluunt opibus e quæstuosa pietate collectis, ac præsertim e testamentis morientium, quibus obsignatas chirographo suo schedas tradunt, ad recipiendam apud mensarios alterius orbis pecuniam, quantam apud Bonzios in hoc orbe veluti deposuerint. Ut quisque ditissimus est, ita plurimis ejusmodi schedis munitus, et sæpe onustus moritur. Complures Bonzii cœnobiis includunt sese: alii degunt in pagis oppi-

disque, parochorum instar; alii militiam profitentur, Negores vulgo dicti : eorumque tanta est multitudo, ut signo dato conscribere triginta militum possint millia. Eodem ferme utuntur Bonzii vestitu, quo nostri in Europa monachi et eremicultores. Semel decimo quinto quoque die populum alloquuntur e superiore loco : argumentum dicendi e libro petunt, quem præ se apertum habent, ac tanquam nostra Biblia venerantur. In Bonziorum natione numerantur etiam feminæ. Illarum munus est, excipere mulieres, quæ voti aut pietatis causa peregrinantur; porro tanta Japones tenet suorum numinum veneratio, ut nonnulli, quo certius citiusque in eorum conspectum et regiam, obita morte, veniant, præcipites in mare dejiciant sese, aut includant antris, donec inedia conficiantur.

Fr. Xaverius Japoniam ingreditur;

Ea de Japonibus prædicari cum audivisset Xaverius, ac simul eorum indolem optimam, et judicium in æstimandis rebus perspicax multi affirmarent; incensus fuerat cupiditate Christum illis, et Evangelium inferendi. Magnam rei conficiendæ opportunitatem illi obtulit Japon ille, Anger nomine, quem Christianis erudiendum sacris curaverat, ac Lusitano sermone imbuendum. Quo duce atque interprete Malaca solvit cum P. Cosmo Turriano et F. Joanne Fernandio, ac Japoniæ urbem Cangoximam decimo octavo Calend. Septembres, festo die Assumptæ in cœlum

Deiparæ, feliciter attigit. Erat Cangoxima, Angeris patria, qui statim parentes et propinquos de nova quam susceperat religione certiores, ejusque pariter amplectendæ cupidos fecit. At Xaverius, delibata parumper gentis lingua, cum videret Bonziorum auctoritate ac fama superstitionem potissimum stare, illorum errores, leniter, si posset; si non, palam et acriter confutandos putavit. Ergo insinuat se in eorum familiaritatem, infert sermonem de religione, et quosdam blande disputando vincit : quæ vis est modestæ veritatis; unum præ ceteris annorum octoginta senem, tanta prudentiæ fama, ut rex gravissima cum illo negotia communicaret : tanta eruditionis opinione, ut factum illi cognomentum esset Ningit, hoc est, *Cor veritatis*. Parum indocto seni tam splendida conveniebat appellatio. Quippe in multis rebus, haud valde reconditis, tum vero in animorum immortalitate asserenda nutantem Xaverius deprehendit, nec difficile convicit erroris; tam urbana nihilominus comitate, ut victorem suum victus laudaverit. Exemplo tanto et auctoritate incitati Bonzii, Europæum Bonzium (sic Franciscum appellabant) suspexerunt. Nihil magis in eo admirabantur, quam animi magnitudinem; ut qui religionis duntaxat causa, inde usque ab Lusitania totum ferme Oceanum emensus, in ultimos Orientis fines penetrasset. Non fuit sterilis admiratio. Duo Bonzii cognitam veritatem amplexi sunt. Ingens operæ

et brevi multos ad Christum convertit, virtute

pretium in tam corrupta natione. Ambos cum aliquot recentibus Christianis in Indiam misit, ut Goæ plenius edocti, suis deinde popularibus in patriam reversi prodessent. Xaverius, ut agere cum populo liberius utiliusque posset, facultatem Evangelii prædicandi petiit, nec difficile impetravit a Rege, commercii, et amicitiæ cum Lusitanis firmandæ cupido. Populum prædicando cœlesti verbo, et prodigiis patrandis perduxit ad Christi Fidem. Cangoximanum littus, antea sterile ac piscibus inimicum, eo jubente fœcundum evasit, ac piscibus redundavit. Mater filiolum toto corpore male turgidum illi flens offerebat; sublatum in ulnas et bona prosecutus prece, sanum parenti, tumore penitus deterso, reddidit. Fecit ea res animos civi locupleti turpibus lepris infecto, quem morbi fœditas domi continebat publico abstinentem : certum igitur hominem suo nomine ablegavit, rogans ut ad se curandum accederet. Xaverius, excusatis occupationibus, pro se unum e comitibus misit, qui ægrotum manu in Crucis morem ducta signavit; statimque suus carni color, sua corpori sanitas est restituta. Animæ turpiorem lepram baptismus abstersit.

et prodigiis.

Sed nihil Cangoximanos percussit magis quam restituta puellæ nobili vita. Immatura morte raptam flebat insolabiliter ethnicus parens, eumque dolor pene ad insaniam adegerat. Nulla spes in Bonziis; amicorum consolatio dolorem augebat,

Reddit vitam demortuæ filiæ.

recordatione calamitatis. Neophyti quidam, occasionem captantes hominis ad Christum adducendi, domum ineunt sub ipsum tempus quo in feretro componebatur ejus filia : injiciunt mentionem de prodigiis, ab Indiarum Apostolo editis. Addunt Christianorum numen esse necis ac vitæ arbitrum, ejus potentiam limitibus nullis circumscribi. Erigitur in spem quamvis ethnicus parens, surgit, et ad Xaverii pedes procidens, opem si quam habet in Deo suo repositam rogat. Ille paulum cunctatus, recipit se ad orandum Deum, cum Joanne Fernandio; statimque consurgens et alacer, hominem dimittit, filiam ejus vivere affirmans. Movit iram ea vox afflicto, qui se illudi putans, indignabundus abcedit. Eunti puer anhelus clamat, vivere puellam et salvam esse. Obviam procedit ipsa, et in parentis amplexum ruit. Qui præ lætitia et miraculi novitate vix sui compos, ubi se collegit, scitatur quo tandem pacto redierit ad vitam. Cui virgo : solutam corpore nigerrimi duo Æthiopes corripuerunt, meque deturbatum ibant in æstuantem atris ignibus voraginem, cum præsto fuerunt homines duo, candore vultus, modestia et majestate insignes, qui me ex illorum manibus ereptam, corpori et vitæ reddiderunt. Ad Xaverium et Fernandium adducta : En, ait, en vitæ meæ ac salutis auctores! agnosco vultum, beneficium profiteor! Ac paulo post cum patre baptizata est.

Annus Christi 1550 : Societatis 11.

In Africa Lainius et Cornoza,

Indos prodigiis expugnabat Xaverius; Afros vi et armis vincebat Joannes Vega, Siciliæ Prorex. Ille in Africam solvens undecimo Cal. Quintiles P. Lainium una duxit, qui precibus et sacrificiis apud Deum, opera et concionibus apud milites, præsidio foret. Dracutus archipirata famosus, maritimam Siciliæ et Italiæ oram, ac totum late intra Herculeas columnas mare, habebat infestum. Carolus Cæsar prædonem debellandum Proregi commisit. Copiæ in Africanum littus fuerunt expositæ ad urbem Aphrodisium, quam Dracutus occupaverat. Capto castris loco, Lainius nosocomium instruxit : quod brevi redundavit ægrotis, tum propter obsidionis diuturnitatem, tum ob gravissimos calores, in anni æstuosa tempestate. Ampla Lainio, ejusque comiti Martino Cornozæ, laboris et patientiæ seges. Nec minorem curam valentibus copiis, sæpe media inter tela, impendebant, quibus etiam amplissimam delictorum veniam impetrarunt a Summo Pontifice. Hinc duplicatus labor et fructus; adeo ut militia, quæ non raro est officina vitiorum, plerisque fieret schola virtutis, seque ante, quam hostem vincerent; et victoria quidem eo nobiliore, quo difficilius est domesticum hostem frangere, quam externum. Quarto Idus Septembris expugnata urbs. Præcipuum e Mahometanis fanis templum numini vero dedica-

tum; et Maurorum quidam sacro fonte lustrati. Lainius ornavit celebritatem gratiis Deo publice agendis, et milites remansuros in præsidio necessariis documentis instruxit. Ecce autem classis Turcica derepente in Messanæ conspectu apparuit, vastatura Siciliam, nisi Aphrodisium Dracuto redderetur, quod contra inducias rite pactas illi ereptum hostes contendebant. Prorex, nihil cunctatus, naves expeditas promovet, iisque lectum imponit militem, cum PP. Hieronymo Natali, et Isidoro Bellino. Aphrodisium versus Christiana classis vela fecit. Vix prætervecta Melitam erat, cum fœda tempestas, e quindecim triremibus, octo demersit in iisque prætoriam. Natalis tandiu in ea moratus, dum opem afferre pereuntibus aliquam licuit, re desperata in mare se projecit, et quamvis natandi rudis, evasit in scopulum. Isidorus intercepto inter saxum ac triremem, abscissoque brachio, demum soluta navi, haustus fluctibus et obrutus est, cum pluribus. Reliquæ naves Aphrodisium tenuerunt. Alii Societatis Sacerdotes in remotiore ad occasum Africæ ora, quo partim jam ante aliquot annos, partim recens accesserant, utiliter elaborarunt tum continendis in Christi Fide captivis, qui eam perfacile deserebant, tum impiis desertoribus ad religionis castra reducendis : præsertim vero pueris puellisque redimendis, quorum pietas ac pudor inter Saracenos maximo in periculo versabatur. Publicum etiam

Natalis et Bellinus,

aliique PP.

captivis et ægrotis hospitium erexerunt, in quo ministrabant ipsi, neque animabus tantum studebant prodesse, verum etiam corporibus, hausta qualicumque morborum curandorum ratione a captivo medicæ artis gnaro. Qui laborare gravius videbantur, hos suum intra tectum, quo propius et facilius curarentur, excipiebant, magna cunctorum approbatione. Ad eorum labores et Evangelii fructum, non exiguam accessionem adjunxit Annus Jubilæus; cujus sacras opes tanto prolixius effuderunt, quanto illarum egentior ibi Christiana plebs erat.

Hanc anni sancti occasionem arripiens Franciscus Borgia Romam venit, quasi ut Apostolorum sacra limina viseret, revera ut S. Ignatium complecteretur, et vestem Societatis ac nomen, quod in votis dudum habebat, illic indueret. Res domesticas composuerat, anno MDXLIX manum ultimam piis operibus privatis publicisque imposuerat, liberis ut lautum et probum decebat patrem, consuluerat; nihil eum præterea morari videbatur quominus destinata perficeret. Serpebat etiam rumor, Cæsari esse in animo negotiis illum gravibus gerendis adhibere, quibus semel implicatus intelligebat, minorem sibi facultatem fore, vincula quibus alligatus in sæculo tenebatur, abrumpendi. Hispaniarum vero princeps Philippus jam illi regiæ domus præfecturam, si rerum aliquando potiretur, destinabat. Hæc omnia suade-

Fr. Borgia Romam venit;

bant, ut relicta quamprimam Hispania molestam pristinæ dignitatis exuere personam, et sanctioris vitæ consilia in apertum proferre maturaret. Verum, si Romam idcirco pergeret, ut Ignatio placebat; suberat alter, nec levior metus a Paulo III Summo Pontifice. Is ab Alexandro VI, Francisci Borgiæ proavo, purpura ornatus, omnem captabat locum, animi grati et memoris erga domum tam bene de se meritam significandi, jamque Romanum ostrum duobus Francisci fratribus detulerat, qui paulo post illud acceptum extincti, studia Pontificis non modo non extinxerant, sed etiam accenderant. Itaque parabat eadem purpura Ducem ipsum vestire. Anxium super his Borgiam, obitus Pauli III cura liberavit. Cui subrogatus Julius III non eumdem Francisco metum incutiebat. Igitur dat sese in viam, cum Joanne Borgia, minore natu filio, Patribus aliquot Societatis et lecta nobilium equitum manu. Gandiâ discedens Davidicum illud, oculis in cœlum sublatis, et præ gaudio illacrymans, cecinit : *Laqueus contritus*
* *Ps.* 123. *est, et nos liberati sumus* *. Induxerat enim prorsus in animum, numquam illuc, unde abibat reverti; qua in sententia sic perstitit, ut postea, licet regressus in Hispaniam, in eoque perdiu commoratus, Gandiam non viderit. Simili mortificationis et humilitatis studio providerat, ne suus Romam ingressus celebritatis quidquam haberet, noctemque opperiebatur, ut per tenebrâs iniret

Urbem. Verum obviam processere Cardinales aliquot, Legatus Cæsarius et Princeps Fabricius Columna, cum Romanis proceribus; ac lucem, quam fugiebat, omni die clariorem fecerunt.

In ædes Pontificias invitatus domum Professorum recta petiit, et Ignatium, tamquam patrem ac præpositum suum, veneratus, accidit ad ejus pedes, osculoque manum libavit. Hærebant mutuo in complexu ingentes illi duo viri, suavibus perfusi lacrymis, nec facile diceres, plusne gauderet Borgia reperto quem veluti præsentem Numinis interpretem audiret, an Ignatius, conspecto quem Divinæ gloriæ nobile instrumentum, et Ordinis sui clarissimum fore lumen sciret. Ab hoc primo jucundissimoque congressu, Dux Pontificem cupide exspectantem adiit. Eum Julius singulari tum honore, tum benevolentia, non solum ut Principem, sed ut virum etiam sanctum prosecutus, laudavit exemplum, quod edebat Orbi Christiano, colenda palam constanterque virtute. Iterum illi et enixe Vaticani palatii partem, in qua Pontifici propior habitaret, obtulit. Gratias ingentes egit Borgia, utque sibi domi Societatis liceret esse, petiit. Ibi vero liberrimam exercendæ pietatis palæstram nactus, humilitate, mortificatione, omnibusque deprimendi et vexandi sui artibus cum Patribus certabat, qui licet in eo studio exercitatissimi, tamen vinci non raro se mirabantur. Multus erat cum Ignatio, cui dum

honorifice excipitur:

arcanos pectoris intimi recessus aperiret, ab eo vicissim reconditiores *Domini vias* docebatur, et magnorum operum ac virtutum accipiebat semina, quæ olim fructu centuplici fenerata redderet.

Inde ad sacra Jubilæi dona percipienda conversus, sanctam lustravit Urbem, triumphis Apostolorum, Martyrum sanguine, tot egregiis Divorum facinoribus inclytam; profanæ vetustatis monumenta neglexit, quibus advenæ vulgo curiosum et inane pascunt otium. Primis hunc in modum curis pietati datis, restabat una longe gravissima, nimirum : ut seculi reliquiis valere jussis; Societatem, cui nomen occulte dederat, aperte profiteretur. Eam ob rem Gasparem Villalonum, e nobili suo comitatu, misit Augustam Vindelicorum ad Cæsarem, ut ejus bona venia titulos avitæ dignitatis et honores deponeret, eosque in filiorum suorum natu maximum transferret. Jam Ducis modestia, et in obeundis omnibus religionis officiis ardor, dederat locum suspicandi, quid pararet : celari nihil potuit post Villaloni discessum. Multus de Borgia Romæ sermo, nec minor admiratio. Laudare Pontifex, ac palam dicere, non esse committendum, ut tanta virtus in religiosæ vitæ obscuritate delitesceret : promovendam in sacrum collegium, ut Orbi Christiano toti luceret. Optimus quisque, ornandum tam excellenti viro Cardinalium cœtum existimans, Pontifici valde assentiebatur. Rumor tota urbe delatus

ad aures Francisci allabitur. Dolere ille tam graviter, quam solent gaudere qui honorem ambiunt. Hic metus in causa fuerat, ne Romam veniret, Paulo III Pontifice; idem ne maneret modo Romæ fecit. Quatuor mensibus vix elapsis, non expectato Cæsaris responso, amicis raptim salutatis, hac negligentia negligendum se ratus, in Hispaniam profugit, non prohibente Ignatio, qui se a carissimo filio patiebatur parumper disjungi, ut eidem arctius in Christo jungeretur. **Honores ut fugeret Româ discedit.**

Redditus Hispaniæ Borgia, secessit in Cantabriam, et Ognatense collegium prope Loyolæum castellum elegit, ubi vitæ religiosæ sacrificium absolveret, depositis cum Ducatu Gandiæ, rerum humanarum spoliis et fastidiosa pompa. Illic Cæsaris accepit litteras, quibus Carolus V collaudato ejus consilio, potestatem ipsi faciebat, filii suum in locum substituendi. Borgia nihil cunctatus, Societatis vestem induit, seque tunc liberum ac suum, seu potius Dei totum esse credidit. Cui se ut arctius sanctiusque conjungeret, Sacerdotio initiatus est, ac primum Sacrificium in Loyolæi castelli sacrario celebravit *. Alterum peregit Vergaræ oratus ab oppidanis. Tanta vis hominum in urbem confluxerat, ut aram in planitie sub dio collocare fuerit opus. Secuta sacrum est concio novi Sacerdotis, nec tantum auribus perattentis, verum etiam lacrymis et gemitibus excepta. Cumque plurimi vix dicentis vocem assequi possent, vel quia **Vestem Societatis induit et Sacerdotio initiatur.**

* 1 *feb.* 1551.

longius aberant, vel quia Castellanus sermo, quo Borgia utebatur, Cantabris parum notus; nihilo tamen minus aures animosque arrigebant, perfusi largo fletu. Interrogati vero cur plangerent, linguæ ignari? respondebant : satis esse sibi, quod virum sanctum concionantem spectarent. Adeo vita plus in dicendo valet, quam verba!

Auctus Sacerdotio Franciscus, et Deo plenus vitæ interioris ac pœnitentiæ studiis totum se dedit. Christum penitus induere meditans, cujus personam in Sacerdotio, imaginem in religiosa veste, nomen in professione Societatis gerebat. Longe lateque manavit fama. Non populus modo, sed viri Principes ad eum ventitabant ex ultima etiam Hispania, spectandi studio, gratulandi et consulendi. Plerique virtutem tantam admirati, quod laudabant imitari studuerunt, et abdicato sæculi fastu, arctam quæ ducit ad cœlum viam sunt ingressi. Nec dubitavit Carolus V fateri, ejus exemplo se adductum imprimis fuisse, ut onere Imperii deposito, extrema vitæ tempora piæ solitudini consecraret. Eumdem tamen sacris honoribus tanto digniorem existimans, quanto diligentius profanas fugiebat, locum illi aliquem in collegio Cardinalium a Julio III postulavit. Nec impetravit ægre. At Ignatius, cognito periculo, enitendum totis viribus putavit, ne res ad exitum perduceretur. Itaque post amicos Cardinales aliquot frustra tentatos, ipse causam apud Pontificem

Romanam purpuram sæpius recusat.

perorandam suscepit. Julium obsecravit, ut pro sua sapientia consideraret vocatum divinitus Borgiam a sæculi luce ad humilis vitæ latebras; cordi esse superis, ut per humanæ gloriæ contemptum Divinæ gloriæ serviret; nec parum ad Ecclesiæ sanctæ decus talis exempli splendidam obscuritatem pertinere. Simul adjecit quantum ab Instituto Societatis, et legibus toties a Sede Apostolica probatis, honor omnis etiam sacer abhorreret. Assentiebatur Ignatio sane Pontifex, at negabat rem in integro esse; datam Cæsari fidem, negotium longius provectum. Ignatius de Borgiæ mente, ac virtute securus, invenit rationem, qua satisfieret, Cæsari, Borgiæ, et Societati : Nimirum ut purpura offerretur illa quidem Borgiæ, sed recusantem Pontifex imperio non urgeret. Julius Ignatii auctoritate momentisque rationum impulsus temperamentum laudavit, et purpureum galerum obtulit Borgiæ. Tranquillus in Ognatensi angulo sibi et Deo vacabat, cum tristem et inexspectatum ab Urbe nuntium accepit. Sed lætior ab Ignatio nuntius subinde perlatus, mærorem detersit; et oblata nomine Pontificis purpura, eo tantum placuit, quod occasionem ipsi dabat, abdicatis honoribus profanis, sacras quoque dignitates recusandi. Elapsus hoc periculo Borgia in novum incidit. Philippus, Hispaniaram Princeps, vincere illius, ut aiebat, pertinaciam, decrevit. Interpretem atque mediatorem adhibebat Cardinalem Joannem

Poggium, Apostolicæ tum sedis apud Hispanos legatum, qui rem cum Pontifice tam sedulo celeriterque confecit, ut Poggius voluntatem Pontificis attonito Borgiæ renuncians, simul edixerit nullum effugio locum esse. Non tamen idcirco animum ille despondit. Primum omnium aggreditur ipsum Poggium, et orationis constantia flectit, adeo ut Cardinalis ad Pontificem scriberet, fieri non posse, ut unquam assentiretur Borgia, aut si cogeretur, mœrori ferendo parem ac superstitem non fore. Victo Cardinali, Philippum Principem adortus est, ac de sententia dimovit ope Infantis Joannæ, quæ Philippi soror et regis Lusitaniæ vidua, consiliis ductuque Borgiæ pridem utebatur ad officia pietatis. Accessit apud Julium III orator acer atque efficax Ignatius, et causam denique omnem obtinuit. Ne sic quidem speciosis id genus periculis carere omnino Borgiæ licuit. Eadem certamina sub pontificibus Paulo IV, ac Pio IV et V renovata : sed victoria licet difficilis, numquam tamen dubia aut anceps fuit.

Societatis nova Confirmatio.

Ignatius Summi Pontificis benevolentiam in Borgiæ negotio expertus, ab eo enixe petierat, ut Societatis Institutum rursus confirmaret, eamque novo propugnaculo contra nonnullorum inscitiam aut malevolentiam communiret. Id vero libentissime atque uberrime præstitit Pontifex, edita Constitutione XII Cal. Sextiles, in qua declaravit, et ad Ignatii mentem distinxit, quæ in Pauli III

approbatione litterisque Pontificiis, ambiguam aut dubiam habere interpretationem poterant. Hunc in modum confirmata denuo Societate, faciendum putavit Ignatius, ut ejus leges a se conditæ a præcipuis Patribus confirmarentur et comprobarentur. Opportunum eos convocandi, qui aberant Roma, tempus credidit annum MDL Jubilæo insignem, quo plerique variis e partibus venturi erant. Lectæ a singulis Constitutiones, et expensæ vehementer ab omnibus probatæ sunt. Sed B. Pater, iis perpoliendis intentus, judicium aliorum qui adesse non potuerant Patrum graviorum exquisivit; ac si quid dies progrediens aperiret expectans, illas ante annum sesquimillesimum quinquagesimum tertium non promulgavit. Tum demum ab eo missæ sunt in aliquot provincias, velut experiendi causa.

Ignatius regimen abdicare tentat.

Ubi vidit B. Pater probe constitutam Societatem, eamque sua deinceps cura carere tuto posse arbitratus, illius gubernandæ onus in alium transferre sedulo tentavit. Reclamatum est ab universis Patribus, et ut familiam sapienter a se ordinatam regere pergeret oratus, ægre filiorum amantissimorum obtestationi cessit. Causabatur (quæ ipsius erat humilitas) gravitatem ponderis, quod in dies augeri sentiebat. In ipsa enim Italia octo collegia non toto biennio erant condita, in aliis provinciis multo plura. Collegii Veneti anno MDL auctor idem, qui fuerat Patavini, extitit

Variorum Collegiorum ortus.

Andreas Lipomanus. Conversum est, decennio post, collegium in domum Professorum; rediit subinde in eamdem Professorum domum, cumque illa modo junctum perseverat. Juncta quoque collegio fuit Domus Probationis Messanæ, sic ut in hanc e collegio pateret ingressus. Sed anno MDLXXIII sejuncta penitus est, et exstructa in urbis regione, quam Tironem vocant. Nata sunt anno sequenti Romanum, Neapolitanum ac Ferrariense; nec ita multo post Perusinum et Mutinense.

Nova hæc et amplior Societatis Confirmatio, cujus mentionem proxime fecimus, et studia populorum ad eam arcessendam acuebat, et conatus adversariorum debilitabat. Itaque plurimum valuit ad placandum, aut coërcendum Toletani Archiepiscopi animum, a Societate graviter abalienatum.

Toletanus Antistes infensus.

Is erat Joannes Siliceus, in Cardinalium collegium postea cooptatus, qui cum ab obtrectatoribus audisset, abuti Societatem suis privilegiis, et infinitam quamdam in Sacramentis administrandis licentiam usurpare, usque eo exarsit, ut edicendum curaverit, anathematis pœna proposita, ne quis e sua diœcesi a nostris ulla Sacramenta susciperet; neve parochus quispiam, aut cœnobii religiosi præses, quemquam e nostris in suo templo vel populum docere pro concione, vel divinam rem facere, pateretur. Ignatius, audita re, *Tempestas hæc,* ait Ribadeneiram ore læto respectans, *boni ominis est, et nobis olim Toleti rem suc-*

cessuram portendit : sic enim experti sumus, per aspera et salebrosa viam Societati præsterni, et ibi lætiores efferre fructus, ubi gravius est jactata. Sane mirifica erat B. Patris in adversis rebus ac prope desperatis tranquillitas animi et æquabilitas : idque crebris usurpabat sermonibus, imitandam nobis esse Angelorum beatam pacem, qui in animarum sibi creditarum custodia omnem quidem diligentiam præstant; sed, eventus quicumque sit, nihil de tranquillitate sua deperdunt. Ipse interea scripsit ad Socios Hispanos, ut omni officio placare antistitem conarentur. Conati omnino sunt. Quo se modestiores præbebant, et ad omne paratiores obsequium, eo præsul durior evadebat. Adhibitæ nequicquam procerum et amicorum deprecationes et officia. Ubi nihil istis omnibus profici cognovit Societatis conditor, adiit Pontificem, eique rem totam exposuit. Julius bono esse illum animo jussit, deinde Cardinali Maffæo negotium dedit, ut ad Archiepiscopum Toletanum scriberet, eique Societatem commendaret. Simul ad suum in Hispania Nuncium litteras dedit, ut iniqua contra Societatem edicta rescindenda curaret. Paruit Siliceus, eoque nomine gratias illi maximas egit Ignatius, ac futurum promisit ut Societas privilegiis suis et immunitatibus, nisi eo consentiente, non uteretur. Censebat enim privilegiorum præsidia tum utiliter adhiberi, cum proximi pastoris voluntas accederet : quæ si abes-

B. P. Ignatii pax.

set, vix quemquam ex illis fructum percipi, ac lites potius odiosas et offensiones creari. Quievit tum quidem Antistes Toletanus : at postmodum renovatis suspicionibus pristinis, molestiæ non parum Sociis exhibuit. Adeo summis etiam viris difficile, ac rarum est, opiniones primum arreptas ex animo penitus deponere!

Primordia Collegii Parisini.

Id perspectum in primis Lutetiæ fuit, ubi Societatem plerique, velut suspectam, et Academiæ Parisinæ inimicam fugiebant, ac ne collegium Parisiense coalesceret, impedire diu tentaverunt. Ordinem nostrum accuratius propiusque cognoverat in Concilio Tridentino Guillelmus Du Prat, Claromontanus Episcopus, unus e præsulibus Gallicanis, qui S. Synodo interfuerant, ubi Lainii, Salmeronis, Canisii et aliorum Societatis theologorum sapientiam, eruditionem et probitatem coram perspexerat : videbat Societatem in Italia, Hispania, Germania, et plerisque aliis Europæ locis notam, utilem et caram, doluit eam in Gallia sua non satis esse cognitam; ac reversus Tridento, collegium Parisiis unum fundare constituit, tum alia duo in sua diœcesi, Billomense ac Mauriacense. Ac primo quidem Parisiis Socios e collegio Longobardorum, ubi anguste et incomode habitabant, in suas ædes transtulit, quas Episcopi Claromontani Lutetiæ possidebant, in via citharæ, non procul a templo SS. Cosmæ et Damiani. Necdum ulla tamen collegii proprie forma constabat,

ob eam causam, quod nondum Societas recepta in regnum Christianissimum fuerat publica auctoritate, quamobrem docendi jure frui non poterat, ceterisque privilegiis quibus indigenæ gaudent. Interim nostri et in studia litterarum incumbebant privatim, et civibus præcepta vitæ perfectioris tradebant. Quæ cum passim ab iis fierent in amplissima civitate, non potuerunt latere; nec proinde fugere multorum, qui alienam gloriam suum dedecus interpretabantur, obtrectationes et suspicionem periculosæ, ut erant ea tempora, novitatis: Ignatius in omnem constituendi Lutetiæ collegii occasionem imminens, Carolum Cardinalem Guisium, qui vulgo Cardinalis Lotharingus vocabatur, et Romam id temporis venerat, salutavit officii causa, eique negotium collegii enixe commendavit.

Cardinalis operam ad id suam humanissime promisit, nec segnius præstitit re, quam verbo promiserat. Quippe Galliam repetens obtinuit, pro ea, qua valebat apud Regem Henricum II auctoritate, ut diploma rite conderetur *, quo * *jan.* 1550.
Societati jus illud naturalitatis, ut appellant, sive naturalis ortus, tribuebatur, ac potestas collegii constituendi amplissima fiebat. Enimvero novos ad excludendam Societatem stimulos adversariis hoc diploma subjecit. Illorum alii Calvino, et ejus discipulis favebant. Alii bellorum cum Hispanis gestorum memores, Societatem oderant, cujus conditor, et aliquot præcipui Patres erant Hispani.

Denique litterarum professores catervam hanc eruditorum, et novum collegium in suam perniciem comparatum clamitabant. Nec mollius loquebantur parochi complures et clerici, sua jura nostris infringi ministeriis, minui emolumenta, famam deleri existimantes. Illi omnes conspirantibus animis et vocibus acriter in Societatem invehi cœperunt. Ignatius, ut procellam hanc sedaret, litteras Summorum Pontificum Pauli III et Julii III, quibus confirmabatur et explicabatur Institutum Societatis, curavit in Galliam perferendas; sed hinc orsa tempestas, ingravescere. Procurator Generalis Parisini senatus supplex regem adit, contenditque, Constitutiones Societatis adversari penitus regni et ordinis Hierarchici legibus. Rex litteras Pontificias de Societatis Instituto, expendi ab interioris et privati sui consilii senatoribus jussit. Qui cum renunciassent, nihil in iis esse, quod regno vel Ordini Ecclesiastico repugnaret, alterum diploma conscriptum est, ineunte Januario anni MDLII, quo rex jubebàt Societatem et collegium accipi, neque ullam suo diplomati moram opponi. Senatus oravit Regem, ut, quandoquidem hæc esset religionis causa, consuli Parisinum Antistitem, et Sorbonæ theologos pateretur. Eustachius Bellaius, Parisiensis Antistes, negavit Societatis institutum, et concessas illi ab Sede Apostolica immunitates, stare posse cum juribus Episcoporum, et pactis inter Summos Pontifices

et Galliæ reges transactis, quæ vulgo *concordata* vocant. Quamobrem consociatis cum Parochis et academia Parisina consiliis, omnem aditum Societati in Galliam intercludere conatus est.

et Domus Lovaniensis.

Eædem difficultates objiciebantur Societati, ne in Belgio consideret. Multi adolescentes egregiæ indolis eam cupide Lovanii amplectebantur, et crescente in dies eorum numero, fuerant omnes e variis ædibus, ubi sparsim agebant, in eamdem et amplam domum congregati * duce ac præside P. Cornelio Vishavæo. Ad augendum eorum cœtum, momenti haud parum habuit Ludovici Blosii, Abbatis Lætiensis, auctoritas, cui Societas usque adeo probabatur, ut, si libera sibi daretur facultas eligendi cujuspiam vitæ instituti, affirmaret, eam se cum suis omnibus amplexurum : sed quando id sibi integrum non esset, certe perfecturum, ut, quibus ea potestas foret, id illi, se suasore et auctore, facerent. Hoc luculenter præstitit, omnique ope adnisus est, ut in Belgium Societas publica auctoritate reciperetur. Hoc ipsum flagitabat a Maria, Caroli V sorore, Belgium tum administranti, ejus frater Ferdinandus Romanorum rex; nec non Cardinalis Polus, Apostolicæ Sedis legatus. Maria, rumoribus infestis, qui de Societati spargebantur paulum deterrita, Lovaniensis academiæ judicium exquisivit. Datum est honestissimum ab Academia, et publicis tabulis consignatum *. Eo testatur academiæ Rector,

* *anno* 1547.

De Soc. judicium Ludovici Blosii,

Academiæ Lovaniensis,

* *Hist. P. I. lib. X. n°* 105.

Bullis et privilegiis Societatis mature visis, examinatis et discussis; consideratis quoque moribus et conversatione eorum qui de dicta Societate pluribus annis magno cum fructu et ædificatione Christi fidelium egerunt : eorum institutum pium et sanctum; et nihil in eorum privilegiis, bullis et moribus ac conversatione inveniri, quod toti Ecclesiæ, et inferiori Germaniæ non sit expediens et utile. Huic testimonio simillimum illud exstat Ruardi Tapperi, viri ex eadem Lovaniensi academia doctissimi et gravissimi. *Hoc sancta et nova Jesu Societas studet, hoc ejus filiis propositum est,* inquit, *ex mandato Christi, nihil charitate fraterna prius habere, sui nullam rationem ducere, seipsos exinanire, totos se ad Dei honorem et salutem proximorum effundere, quemvis laborem, quodvis discrimen subire; denique vitam ipsam pro Christo et animarum salute contemnere. Qui enim ei se mancipant, non uni cuipiam, ut aliæ religiosæ familiæ, charitatis officio sese dedicant, sed plane omnibus ad quæcumque, quascumque terraram in oras mittantur. Merito hæc Societas sanctissimo nomine Jesu appellatur, quia Dominum Jesum, ejusque Apostolos præstantissimo modo sectatur.* Idem narrat deinde, quemadmodum confirmata fuerit auctoritate Apostolica; testatusque, a se diplomata et instituta ejus, et Spiritualia Exercitia

et Ruardi Tapperi.

accurate perspecta, subdit singillatim et explicat multa, quæ sunt propria Societatis, e quibus colligit, mirum non videri, si talia profitenti Ordini multi existant adversarii : quamquam, ait, sibi persuasum esse, plerosque ex inscitia ei adversari, qui si eam cognoscerent, mutaturi procul dubio sententiam essent. His freta testimoniis Belgii gubernatrix causam Societatis sedulo suscepit. Lovanii tamen certam sedem et collegium, nisi post multos annos et superatas difficultates maximas, habere Societati non contigit. Sic negotiis ad divinam gloriam spectantibus, graves interdum occurrunt moræ, quæ patientiam Christi famulorum exercent, idque si dolemus in Europa, mirum profecto videri non debet, si accidat in remotis ab humanitate ac religione gentibus.

Quanta mole pugnavit Indiarum Apostolus, ut Christi fidem in Japonia constitueret! Non parum initio profecerat inter Cangoximanos, et populo utebatur sane suo. At Bonzii ad miraculorum, quæ patrabat, et novæ quam proponebat doctrinæ famam excitati velut e somno, ut senserunt, abduci a se discipulos, et sua commoda minui, populum primo, deinde ipsum regem in Xaverium acriter commovent. Alienior a Dei servo Cangoximæ rex esse jam cœperat ob eam causam, quod Lusitanorum naves, antea solitæ Cangoximanum subire portum, anno MDL ad Firandensem erant appulsæ. Bonzios non latuit regis mœror.

Xaverius Cangoxima pulsus,

Omni contumeliarum genere Christianos insectantur, ac regem urgere non cessarunt, donec victus illorum qua precibus, qua minis, Evangelicam legem ulterius in regno suo promulgari suscipique vetaret. Xaverius omnia nequicquam expertus, ad eum flectendum cessit, ac neophytis, Angeri commendatis, Firandum se contulit. Ubi a Lusitanis, et rege, qui apertas cum Cangoximano gerebat inimicitias, peramanter exceptus, ædem sacram condidit, ac paucis diebus plures peperit Christo, quam Cangoximæ multis mensibus.

Firandum petit,

Erat non procul Firando castellum Dynastæ Ekendoni, prælato et abrupto impositum scopulo, multisque præterea munitum propugnaculis. Invitatus a dynasta Xaverius statim atque Divinam legem militibus præsidiariis, et familiæ principis exposuit, septemdecim salutari fonte conspersit. Quin ceteris, idem postulantibus, præclari voti copia fieret per Ekendonum stetit, qui licet docenti Francisco valde assentiretur, metuebat nihilominus, ne rem ingratam faceret regi Saxumæ, cujus cliens erat. Uxori dumtaxat filioque majori natu potestatem fecit, suscipiendi clam baptismi, pollicitus a se palam suscipiendum, simul atque per Saxumæ regem liceret. Rem dynastæ familiarem administrabat prudens senex. Huic in Christi familiam recepto negotium dedit Xaverius instituendi alios, et apud eum reliquit libri exemplar, quem ad informandos Cangoximæ neophytos com-

posuerat. Certum in castello designavit locum, in quem baptismo recens lustrati, imo ethnici, convenirent Dominicis ad audiendum aliquid ex eo libro, fundendasque preces. His adjumentis senex tantum in colendis novis illis plantis profecit, ut paucis post annis Ludovicus Almeida Christi cultores egregios amplius centum in Ekendoni arce invenerit, adeo ut arx illa religiosorum cœnobio, quam præsidio militum propior videretur. Discedens Xaverius flagellum, quo ipse utebatur, seni dedit. Is tamquam rem sacram servavit, tum castigandi corporis causa, tum ad sanandos ægrotos. Eo flagello morbi, quicumque invadebant castellum, pellebantur : cumque Ekendoni conjux in summo vitæ periculo versaretur, ducto super ægram in morem crucis flagello, repente convaluit. Non minor inerat vis relicto apud Ekendonum Xaverii libello, qui cum ipsi Ekendono graviter laboranti fuisset admotus, hominem adeo mirabiliter extremo discrimini eripuit, ut eum ad vitam revocatum familia omnis affirmaret. Xaverius Neophytis Firandensibus Cosmi Turriani curæ commissis, contendit Amangucium. Distat hoc oppidum Firando passuum millia fere trecenta, in eoque familiæ numerabantur ad decem millia. Multos ibi cognoscendæ veritatis, paucos amplectendæ cupidos reperit. Fatebantur illi quidem Christianam legem esse rationi ac naturæ valde consentaneam, sed nimis abhorrentem a moribus

Amangucium,

Japonum et institutis. Itaque Xaverium ejusque comitem digito monstrantes, dicebant per jocum: En qui nos uno Deo, et uxore una contentos esse volunt. Diebus aliquot per ædes privatorum et compita docendo transactis, evocatur a rege: apud quem cum nihilo plus proficeret, satius duxit Meacum petere, tunc imperii caput. Ut illuc tutius ac certius per altas nives et belli, quo regio flagrabat, gravissima pericula, perveniret, equiti

et Meacum. Meacum petenti famulum se obtulit. Hunc in equo expeditum, ipse ejus impedimentis ac suis sarcinulis onustus, tempestate perfrigida, nudo pede, sequebatur; lubrica et conglaciata via torrentibus crebris, et cautibus aspera, fame, et algore confectus; ad hæc omnium sibilis et probris, ut peregrinum, et vile mancipium; sæpe lapidibus, et cœno appetitus. Utrum mirari magis libet, Xaverium edendis miraculis naturæ velut imperantem; an eumdem equiti barbaro mediastini more famulantem? Oppidum aliquando ingressus cum verba de Deo faceret, sectasque Japonum ac flagitia publice insectaretur, ab oppidanis protractus est extra mœnia. Jam saxa colligebant, ut eum obtererent, cum subito mistus grandine ac fulminibus imber inhibuit sceleratos, et conjecit in fugam.

Annus Christi 1551 : Societatis 12.

Paulo facilius divini verbi semen progerminabat in Brasilia. Templum in Colonia S. Vincentii, quæ Paraquariam proxime attingit, et domus Societatis ædificata. Ad mediterraneos etiam ethnicos, multorum dierum itinere difficillimo, penetratum est. Petrus Correa magno Patribus adjumento erat; quippe gentis et Brasili sermonis gnarus. Antequam Societati nomen daret, indigenos undique in servitutem abripiebat, existimans, facere se rem gratissimam regi Lusitaniæ, cui propter nobilitatem generis et animi magnitudinem erat carissimus; imo, ipsi Deo præstare se obsequium arbitrabatur, Brasilis licet per vim apud Lusitanum dominum collocandis, a quo legem Christi docerentur. Sed postquam ex Patre Leonardo Nunnio cognovit quanto id piaculo fieret, Societatem est ingressus, ubi suas omnes curas in eorum salute sempiterna collocaret : in eoque studio reliquam consumpsit ætatem ardore incredibili, cum diceret justum esse ut veteres injurias novis oblitteraret officiis, seque totum innocenti populo, quem tamdiu, tam graviter læserat, impenderet. Eo duce atque adjutore P. Leonardus complures barbaros in libertatem ex iniqua servitute vindicavit, domicilium recipiendis ethnicorum liberis et ad Christi cultum instituendis exstruxit. Christianorum vero famulis

In Brasilia Patrum successus,

divinam explicuit legem; quorum ea turba erat, ut illam ædes sacra, et area circumfusa non caperet. Incolas Portus securi, (hæc una e præfecturis Lusitanorum est) P. Joannes Aspilcueta, pro sua parte, non negligenter adjuvit. Franciscus Petrius non procul ab hujus portus oppido, B. Virginis adjutricis ædiculam excitavit. Gratum opus reginæ superum. Cum enim locus laboraret aquæ penuria, saluberrimus fons e terra divinitus emicuit : ad quem concurrebatur e longinquo, cognita ejus virtute ad sanandos morbos, et longe lateque salutaris lympha spargebatur. P. Emmanuel Nobrega, quos ex indigenis aut advenis norat in vitiis aut superstitione induratos, ac pene inexpugnabiles, eos singulis Patribus singulos commendabat, qui quotidie monendo, increpando, cohortando, importune, opportune, ad mutandos morès urgerent. Pari studio elaboratum in aliis præfecturis, et eo quidem facilius, quod barbari perspexerant Patres nullo emolumento, nulla proprii commodi spe, labores suos animarum periculis sublevandis impertire. Quin illis, vicos et oppida concursantibus, comites et administros ad cœlestem doctrinam disseminandam se adjungebant. Nec segnius consultum Europæis fuit, quorum plurimi vitia barbarorum induerant, moribusque perditis et exempli pravitate cursum Evangelii retardabant.

Ducuntur maxime Brasili suavitate cantus. Id causæ Patribus fuit, cur Divinæ legis mysteria,

quo dulcius asperis mandarentur ingeniis, illigarent in piis carminibus, quæ prodeuntes in publicum pueri concinerent. Sequebatur eos, captus cantu populus frequens, et præeuntibus modulata pariter voce respondebat. Hac arte rudibus animis impressa doctrinæ salutaris cognitio : quam edita prodigia sanandis ægris, castigandis improbis, probis ope divinitus allata sublevandis, mire confirmarunt. In eo maxime Patrum cura versabatur, ut avidam humanæ carnis famem, qua gens initio laborabat, comprimerent. Itaque cum hostes in acie capti epulis immitibus destinabantur, aderant, ut barbaros ab infami laniena deterrerent, aut saltem ut necandos erudire possent, et aqua salutari tingere. Cum multos hunc in modum æternæ morti ereptos beatæ immortalitati assererent, invidit satanas ac Brasilis persuasit, eorum carnes, qui baptizati fuissent, evadere insulsas et saporem nativum amittere; imo ex intinctis aqua salutari carnibus morbos importari convivis ac mortem. Id cum haberent persuasum, arcebant longe Patres, aut si amovere penitus non possent, dabant certe operam, ne qua fieret illis aquæ, ad impertiendum baptismum, copia. Arte opus erat ad vincendam barbarorum crudelitatem. Cumque ad captivum medios inter ignes animam agentem, unus e nostris aliquando accurrens, illum instituisset, quantum erat opus, aquam poscebat : negaturi fingit famem, cibos petit. Cibus allatus

industria et pericula.

est, aquæ ne stilla quidem, ad levandam inter cibum sitim; consilium enim subodorata impia sagacitas erat. Surgit ille, ac paulum procedens videt aniculam cum aquæ amphora : rogat, ut sitienti paululum lymphæ largiatur, et inter hauriendum, liquore furtim sudarium imbuit, quo super morientem expresso, prolatisque rite verbis, volentem ac sorte suà lætum baptizavit.

Insidiæ Collegio Romano ab Hæreticis structæ, et

Quemadmodum Evangelii præcones ad salutem animabus offerendam industriæ nonnihil sapienter adhibent; sic errorum architecti ad eas perdendas artibus variis, et sæpe funestis abutuntur. Cum plurimi adolescentes Societati nomen Romæ darent, floreretque collegium Romanum et magistrorum eruditione et multitudine auditorum, operæ pretium est cognoscere, quid consilii ceperint Lutherani, ut et tironum pietatem et magistrorum eruditionem depravarent. Erat in Lutheri schola eruditus Michael quidam, juvenis annos tres ac triginta natus, ingeniosus, ore liberali atque indole. Hunc Melanchthon, Protestantium, Luthero mortuo signifer, misit Romam edoctum diligenter quid facto esset opus. Ille Urbem ingressus, et catholicum probe simulans, locum inter tirones nostros enixe postulat. Quid multa? recipitur: nihil eo modestius, nihil ad omnes religiosæ vitæ leges magis compositum atque exactum. Ubi videt læta omnia et matura, insinuat se in quorumdam tironum familiaritatem,

et Oliverium Manareum aliquando solum nactus, imaginesque Sanctorum respectans, rogat, velut aliud agens, quid sit, cur novitii quidam prætereuntes honorem illis habeant aperto capite? num id omitti sine piaculo possit? Manareus operam theologiæ dederat, idque respondit, quod et catholicum et theologum decebat. Cui Michael : Audivi tamen theologos, inquit, aliter qui docerent; nec mirum, si homines docti aliter alii sentiant. Simul ex Apostolo Joanne locum citavit, quo utuntur hæretici, *custodite vos a simulacris*. Locum explicuit Manareus; Michael visus assentiri, siluit. Alias, tamquam erudiri cupiens, et ansam ad nocendum captans, quæsivit, quid sibi vellet Petrus cum ita scribebat: *Salutant vos fratres, qui sunt in Babylone*. Cum Romam profanam atque ethnicam hac significari voce Manareus dixisset, Michael de Roma Sancta nonnihil e lutulentis impiorum fontibus ductum fidenter et astute subjecit. Perculit Manareum sermo : tamen repressit se ac simulatoris vicissim personam, ut adversarium introspiceret, sumpsit, jubente Ignatio, cui rem totam aperuerat. Quædam proponit, dubitantis ritu : de nonnullis amplius deliberandum pronunciat. Michael prope victum ratus, effundit liberius quidquid subdola tegebat fronte, adeo ut Manareus ex uno ejus colloquio propositiones Lutheranas amplius viginti sublegerit; quæ cum fuissent ad Ignatium perlatæ, ab eo statim

ejectus domo personatus nebulo; delatusque ad Cardinalem Joannem Petrum Caraffam, summum hæreticæ pravitatis Inquisitorem, in vincula conjectus est, et expressa sceleratæ mentis confessione, ad perpetuas triremes damnatus.

Lusit operam Melanchthon in tironibus, inter quos præter exspectationem, theologos invenerat. Alia rem aggressus est via, et quidem eo tutius, quo tectius : fructu autem tanto, ut sperabat, majori, quanto est ad errorem disseminandum commodius academiam depravare, quam Probationis domum. Non nunc primum utitur libris astuta novitas ad diffundendum doctrinæ insanientis virus. Doctores domestici sunt libri, qui nobiscum colloqui, disputare, diu, noctu, domi forisque possunt : eo perniciosiores, quod præsto semper, et in promptu sunt, et quod garriendo placendoque necant. Ut placeant, summa est hæreticis cura. Vestiunt illos eleganter, minio frontem et auro pingunt. Novus character, charta regia, minime onerosa moles. Ne sit coëmendi, et conquirendi labor, obtrudunt inemptos, et ad longinquos deferunt. Sic amplissimas civitates, sic regna tota misere corruperunt. Nec dubitabant rem similiter in collegio Romano successuram : ubi juvenes plurimi, et ut fert ætas, curiosi, demum libris legendis nati. Instruebatur collegii bibliotheca, necessarium eruditæ academiæ armamentarium : res domi satis angusta, facilis aditus muneribus.

Ecce tibi duæ ingentes librorum capsæ, ab amicis, ut præferebat titulus, gratis, persoluto quoque vecturæ pretio, missæ. Lætari enimvero bibliothecæ custos, locum litterariis donis idoneum designare. Ignatius dolum inesse donis aliquando satis gnarus, reserari capsas et excuti libros sigillatim jubet. Erant eo collocati ordine, ut summo in fasce optimi exstarent et bene catholici. Non contentus ea specie vir emunctæ naris, effundi capsas, et latebras omnes imperat vestigari. Ibi venenum apparuit : voluminum pestilentium ingens numerus in fundo latens. Deprehensa fraude, libri ad unum omnes absumpti flammis, et cineres in ventos, Ignatio jubente, dati sunt. Adeo sincerum nihil, aut saltem periculi expers, e tam corruptis fontibus manare posse sentiebat!

ejusdem Collegii fundatio.

Hoc periculo admonitus B. Pater collegium Romanum ab omni doctrinæ labe integrum conservare studuit, id agens, ut in eo Societatis universæ quoddam Seminarium exstaret, in quo excultæ felices plantæ in varias orbis regiones emitterentur. Neque illum sua spes fefellit; celebratumque in dies magis ac virorum doctissimorum judiciis et laudibus ornatum est. Paulus quidem Manutius cum magistros publice docentes audivisset, ac privatim esset allocutus, nullum faciebat finem prædicandæ illorum eruditionis, nec non methodi, qua utebantur in tradendis litteris. Idem sentiebat Aldus, Pauli filius non inferior

patre bonarum artium æstimator; idque publico testatum esse monumento voluit, in præfixa Sallustio suo epistola, quem eruditis illustratum annotationibus, Magistris collegii Romani dedicavit.

* *anno* 1557. Migravit subinde collegium in ædes Salviati *, pristinis commodiores, et pro Sociorum numero necessarias, quippe centum et quinquaginta e nostris in eo versabantur, ex universis prope gentibus collecti : qui quidem sic domi excolebantur omni litterarum genere, ut foras diebus festis ad urbis templa, ad custodias et nosocomia, ad fora et compita procurrerent. Demum, (ut quæ spectant ad Romanum collegium eodem loco prosequamur) postremam illi sedem Divina Providentia constituit anno MDLX hunc in modum. Victoria Tolfia, Pauli IV neptis, post mortem viri, Camilli Ursini, Marchionis Guardiæ, virginum monasterium inchoaverat in ædibus a Paulo ipso Cardinali necdum Summo Pontifice, habitatis; eam ob causam vicinis domibus coemtis, satis amplum spatium, et ab aliis domiciliis interjecta viâ undique disclusum, complexa erat. Post obitum Pauli IV, Virgines illæ necessario ad absolvendum opus subsidio destitutæ, in sua singulæ cœnobia, unde fuerant evocatæ, discesserunt. Pius IV Pauli successor locum hunc, annuente Victoria Tolfia, Societati concessit. Ædificium novum et Romana Pontificiaque munificentia dignum, cum amplis
* *anno* 1581. vectigalibus, adjecit Gregorius XIII * ejus proinde

fundator merito nuncupatus : templum et amplitudine et nitore singulari visendum Cardinalis Ludovicus Ludovisius Gregorii XV nepos, et S. R. E. Vicecancellarius anno MDCXXVI exstruxit.

Hæ fuerunt quasi ætates Collegii Romani. Neapolitanum coaluit citius : studia civitatis vehementer inflammaverat Salmeron, concionator per quadragesimam datus. Duodecim Socios Bobadilla deduxit, rectore Andrea Oviedo. Habitatum initio est in vico quem Gigantis vocabant : postea * domicilium opportuniore loco, media in Urbe, collocatum : idoneo demum ac perpetuo, censum fundatum anno MDLXXXIII beneficentia Robertæ Carafæ, Ducis Matalunensis. Optabat eadem Neapoli Professorum domum condere; sed cum post ejus mortem lites ortæ graves fuissent super certa, quam destinaverat in eam rem, pecunia, litibus et pecuniæ nuncius remissus est; acceptaque liberalitas minime litigiosa Isabellæ Feltriæ Roboreæ, quæ jam domum Probationis Romæ fundaverat. Tirocinii vero domum Neapoli fundavit Anna Mendoza, Comes S. Angeli, anno MDLXXXVII. Magni Ducis Etruriæ uxor Eleonora, de constituendo aut Pisis, aut Florentiæ collegio dudum agitabat. Ut poneretur Florentiæ satius duxit Ignatius; et suus scholis numerus ac numero par celebritas, biennio post, constitit.

Plurium Domorum ortus.

* *anno* 1554. *IX. Cal. sept.*

Petierat Hercules, Ferrariæ Dux, professores litterarum e Societate. Octo submisit Ignatius,

præside Joanne Pelletario, cujus opera uxor Ducis, Renata, quam hæretici a recto Religionis catholicæ tramite seduxerant, redire in viam est visa, erroresque deposuit, felix, si numquam ad eos fuisset revoluta, constantiamque in recte cœptis tenuisset *. Tunc quidem certe sacram confessionem ceterosque ritus catholicos usurpavit magno pietatis sensu, nec minori Ducis voluptate, cui multa idem Pelletarius apposite suggessit ad hæresim urbe charissima penitus exigendam.

* *anno* 1554.

Italiæ primi Provinciales.

Venerat Ferrariam multo ante Paschasius Broëtus, unus e primis decem Patribus, remque catholicam egregie tuebatur. Hunc Italiæ Provincialem primum Ignatius renunciavit, eique administranda, extra Siciliam et Neapolitanum regnum collegia demandavit. Munus tamen anno dumtaxat uno tenuit : ac missus in Galliam ad componenda Societatis negotia, successorem accepit Lainium.

Aucta quoque est Hispania collegiis Burgensi et Methymnensi : Lusitania Eborensi. Burgos votivæ peregrinationis nomine se contulerat par Sociorum anno superiore, ut Crucifixi servatoris signum, prodigiis ibi nobilitatum, venerarentur. Hoc religionis officio perfuncti, ne suæ tantum pietati servirent, pueros ad catechismum conquirere, et in foro docere populum exorsi sunt. Rei novitate perculsus Episcopi Vicarius, comprehendi homines, et in custodiam tradi jubet, dum de illorum adventu ac de doctrina cognoscat. Re comperta et

urgente populo emissi, liberam docendi facultatem accepere : qua sic audientium animos permoverunt, ut ad expetendam Societatis domum universa civitas exarserit. Hoc populi studio ad rem quamprimum conficiendam utendum existimans Burgensis præsul Franciscus Mendoza Cardinalis, qui Romæ singularem industriam Societatis in animorum cultura perspexerat, duos ab Ignatio petiit, qui suam diœcesim inspicerent, ac deinde Burgis subsisterent, ad jacienda collegii fundamenta. Perlibenter annuit Ignatius, et adjuncti duobus istis alii Patres initium collegio dederunt. Procedente tempore cum ædes a Cardinali Mendoza donatæ, propter quas etiam Collegium Cardinalis vocabatur, litibus molestis essent implicatæ, in alias migratum anno MDLXVIII, et collegii loco instituta fuit Professorum domus, quæ rursum mutata est in collegium anno MDLXXXIII. Est prope Burgos ingens pagus et amœnus (Bellimar pago nomen). Illuc identidem, colligendi animi causa secedebat Benedictus Ugoccionus, Burgensis Ecclesiæ Canonicus : et rem utilissimam toti circumjectæ regioni facturum se putavit, si domicilium Societas ibi haberet. Collegium anno MDLX natum propter loci tenuitatem, diu non stetit. Rodericius Duenia Metinæ, quam Campensem Hispani vocant, civis æque pius ac locuples, Sociis in urbe sua domum obtulit. Ea sexennio post in collegium adolevit hunc in modum. Erat Petrus Quadratus, ejusdem

urbis mercator opulentus, et Ignatium pridem Antverpiæ viderat, cum B. Pater philosophiæ ac theologiæ daret operam Parisiis, et ad inopiam rei familiaris sublevandam, in Belgium identidem excurreret ad Hispanos mercatores. Illum Quadratus ut popularem suum, et virum sanctum, pia liberalitate adjuvans, ab eodem audierat, futurum aliquando, ut collegium Societatis fundaret. Igitur anno MDLVII, Ignatio jam in cœlum recepto, vaticinii memor, collegium in ea domo, quam Rodericius Duenia donaverat, fundavit.

Hispaniæ Provincia in tres divisa.

* *anno* 1552.

* *anno* 1554.

Crescente sic per Hispaniam Sociorum in dies numero, tributa est in partes sive provincias duos, ulteriorem et citeriorem *. Huic citeriori, quæ Aragonia dicta fuit, præpositus est Simon Rodericius; illi, quæ Castellana vocabatur, Antonius Araozius. Nec ita multo post addita est * tertia Provincia, Bœticæ nomine, cui Michael Turrianus præfuit. Huic triplici Provinciæ, itemque Lusitanæ, quæ jam inde ab anno MDXLVI fuerat constituta, Præsidem imposuit Ignatius Franciscum Borgiam, Commissarii appellatione, ut pro ea, qua valebat auctoritate ac prudentia, negotiis, quæ propiorem ac majorem poscebant curam, præesset.

Rodericius præficitur Lusitano principi puero.

In Collegiis Lusitanis non tantum eximia magistrorum eruditio, sed etiam adolescentum, qui scholis nostris utebantur, modestia et pietas valde laudabatur. Itaque optavit rex, et apud Ignatium, initio reluctantem, ac ne quid aula Societati no-

ceret metuentem, effecit, ut Simon Rodericius pueri Principis instituendi munus susciperet. Cupiebat etiam Rex Patrem Ludovicum Consalvium habere suæ conscientiæ arbitrum. Sed cum hominem sensisset ab aula immane quantum abhorrere, vixque ab Africanis avelli Missionibus posse, oculos ad Jacobum Mironem adjecit. Qui cognita Regis voluntate, gratias ei plurimas egit, quod tam præclare de Societatis hominibus existimaret; ceterum ut se haberet excusatum rogavit, aulam itidem ut Consalvius, reformidans. Ignatius ab iis certior factus, laudavit ille quidem studium humilitatis, et religiosum aulæ metum : rem ipsam non probavit; ambosque monuit ejusmodi ministeria nequaquam ab Instituto Societatis esse aliena : fovendam in mapalibus, in nosocomiis, in custodiis virtutem, ut in nativo solo; at in Palatia domosque Principum, ubi vix radices agit, diligentius inserendam, et eo etiam utilius, quo latius bonorum exempla Principum ad componendos populi mores patent. Hæc Patrum modestia, et eorumdem in regendis adolescentibus spectata ratio Henricum Cardinalem Eborensem Antistitem impulit, ut Eboram scholas Societatis induceret. Cardinali gratulatus est Ludovicus Granatensis, e Dominicana familia, de Christiana re scriptis egregiis præclare meritus. Cui cum significasset idem Antistes religiosissimus, cupere se ut suum de collegio instituendo consilium populo pro con-

PP. Consalvius et Miro aulam fugiunt.

cione declararet, id vir eloquentissimus amplissimis verbis, et singulari erga nostrum Ordinem benevolentiæ significatione fecit. Huic summi viri testimonio suffragari non tam verbis conabantur Patres, quam accurata munerum suorum administratione; et sane si unquam, hoc maxime anno MDLI tota late Lusitania sparsi, per urbes et oppida pietatem publicam erexerunt. Eborensem diœcesim sex lustravere, duo Episcopatum Guardiæ, duo Portalegrensem; alii Algarbium agrum, alii Conimbricensem. Urbem Portus alii, et Bracaram, finitimosque pagos, idque *sine sacculo et pera*, veteri Apostolorum instituto peragrarunt. Anno MDLIX idem Cardinalis a se institutam Eboræ academiam Societati tradidit, et festo Sanctorum omnium die, inita est magno apparatu possessio.

Discrimina Germaniæ.

Ingolstadiensis vero Academiæ pristinum in decus per Socios restitutæ fama cum Germaniam pervasisset, expetita est certatim Societas a variis civitatibus, ut eamdem ipsis operam navaret. Illam Julius Phulgius, Episcopus Naumburgensis, Canonici Argentoratenses. Episcopi Frisingensis et Aichtadiensis, ac præcipue Canisium postulabant. Sed hunc Ferdinandus a Summo Pontifice et Ignatio impetravit, ut adesset constituendo, quod parabat Viennæ collegio, et cum Sociis illuc jam delatis Austriæ laboranti succurreret. Quippe lues hæretica florentissimam vastabat regionem; clerum, cœnobia, scholas infecerat, vix ut vigesimus

quisque sanus integerque reperiretur. Oppida pleraque destituta pastoribus, aut a mercenariis, et flagitiosis occupata : mysteriorum dignitas neglecta vel despecta, oblitterati ritus, et ceremoniæ sanctissimæ. Ingemuit tot cladibus Canisius. Ac primo quidem a Superis veniam, et opem exposcendam ratus, nec suis, nec amicorum precibus pepercit. Præsertim vero exoravit a fundatore Societatis, ut pro regionibus Septentrionalibus, et aliis hæreseos labe infectis cuncti Sacerdotes Societatis in perpetuum semel singulis mensibus sacrificium offerrent. Satis Canisio non fuit ingemiscere ac precari, remedia malo propiora quæsivit. Datus fuerat novitati pestiferæ aditus nimia facilitate promovendi doctores ad litterarios gradus; efficere studuit, ut major in iis examinandis adhiberetur severitas; major delectus in admittendis ad publice docendum professoribus. Ut vero suppeteret hominum eruditorum ac proborum copia, qui doctrinæ integritatem in scholis, et morum probitatem in populo tueri possent, instituendum curavit Seminarium, in quo selecti adolescentes ad omnia litterarum et pietatis officia formarentur. Parum est, agrum optimo frumento conserere, nisi evellas zizania. Contulit cum hæreseos patronis manus, et alios fugere, alios silere, alios recantatis erroribus resipiscere coëgit. Et quoniam doctrinæ pravitas corruptis moribus facillime adhærescit, in eam præcipue curam incubuit crebris concionibus, ut

populi mores repurgaret. Nulla flagitia quamvis inveterata, et velut civitatis publico donata jure, dicentis impetum sustinebant : quodque raro usuvenit, proceribus æque ac populo grata dicentis libertas erat.

Viennense Collegium.

Post compositam in civitate pietatem proxima collegii instituendi cura fuit. Ferdinandus datis ad Pontificem et Ignatium litteris tredecim e nostris impigros homines, et ad rem gerendam industrios petierat, in iisque Jaium, et Schorichium, e Bavaria deductos. Sed Jaius dum instat operi, non ita multo post * occubuit, summo Viennensis academiæ mœrore, quæ et illius funus nobili doctorum corona, et flore juventutis academicæ, prosequente, duxit; et dignum excellentis viri virtutibus elogium tumulo inscripsit. Aliis e Societate litterarum, ac theologiæ magistris partes suas naviter obeuntibus, cum florere scholas magno juventutis e prima nobilitate numero civitas videret, faciendum censuit, ut in academiæ corpus ordinemque cooptarentur *. Cujus peculiarem quoque curam Canisio rex demandavit; sed cum eumdem subrogare in demortui Viennensis Episcopi locum omnino decrevisset, ac negotium transegisset cum Apostolico Nuncio, Canisius obtestatione multa, Ignatius validis rationibus, Nuncium, et ejus ope Ferdinandum a sententia dimovit. Rursum tentata res est anno MDLIV, sed occultius. Insciis Canisio et Ignatio, legatus Regis

* *Sextili mense, an.* 1552.

Funus P. Jaii.

* *anno* 1553.

in Urbe Jacobus Lassus, Pontificem fidenter adiit, ac Principis voluntatem exposuit. Pontifex, Ferdinandi studio collaudato, *Nos,* inquit, *horum Patrum opera indigemus, gravateque facimus ut illos in eo contristemus; vide ut hoc persuadeas Ignatio, quem si vincas, rem confeceris.* Tum Legatus : *Si consensus Ignatii expectandus est, perinde est ac si res tota denegetur. Sane,* inquit Pontifex : *sed nos id non agemus invita Societate.*

Collegium Viennense idem Ferdinandus in commodiorem transtulit locum, anno MDLIV et annuo censu stabilivit : ex eaque virtutis ac doctrinæ palæstra fructus ingens in omnem Austriam est derivatus, atque adeo in ipsius Austriæ caput, Viennam, ubi anno MDLXIX decem e Sociis concionatores audiebantur : septem in ipsa urbe; tres in collegio, quorum unus Germanico, alter Italico; tertius latino sermone verba faciebat. Fuit etiam domus prope Collegium a Ferdinando constructa*, ut ibi convictores nobiles disciplina Societatis educarentur. Et quia numerum adolescentum, qui fuerat initio constitutus, Austria non submittebat, adsciti fuerunt in idem contubernium alii, præsertim e Polona nobilitate, pueri, quos inter etiam B. Stanislaus Kostka numeratus est. Ortum subinde, propter istam nationum diversitatem, nonnihil dissidii; eoque contubernio disturbato, additum collegio fuit Seminarium Pontificium

* *anno* 1561.

convictorum, liberalitate ac studio Gregorii XIII, quod deinde partim Pontificis, partim Cæsaris sumptibus, amplificatum est.

His aggeribus atque munimentis catholicam Fidem Germania defendebat contra hæreseos incursus. Verum quod olim de sacris Prophetarum oraculis affirmabat Apostolorum princeps, *habetis*, inquit, *firmiorem Propheticum sermonem,*
2 Petr. 1. 19. *cui bene facitis attendentes;* hoc ipsum de Concilio Tridentino affirmari potest, nullum validius propugnaculum adversus omnes erroris impetus comparatum fuisse. Redintegratum est feliciter hoc anno. Revocati a Julio III theologi Societatis, eadem omnium approbatione auditi sunt. Admirationem magnam movit Lainius palam professus, nullum se in dicenda sententia Patrem atque doctorem in medium afferre, quem non ipse totum a capite ad calcem pervolutasset; ac triginta et amplius tamen aliquando proferebat : in iisque Alphonsum Tostatum, cujus tam multa exstant volumina, ut ne ad ea quidem evolvenda satis esse unius ætas hominis videatur. Instantem labori quartana febris invasit. Cujus depellendæ causa, cum dierum aliquot vacationem a Concilio peteret, non impetravit. Id modo concessum, ut quo die febris accederet, in eum diem publicus Patrum cœtus non indiceretur. Ac ne tum quidem, cum privati haberentur conventus, carere Lainio poterant; eique ac Salmeroni gravissimum quodque

Revocantur PP. ad Synodum Tridentinam.

imponebatur onus. Hinc videlicet fuit spectata Societas; et viri clarissimi, ac doctissimi præsules, quibus nondum satis erat cognita, aut etiam e vulgi sermonibus in pejorem partem nota, sentire de illa multo aliter cœperunt, et ad suas sublevandas Ecclesias, erudiendumque populum inde præsidia petierunt. Ægidius quidem Foscararius e Prædicatorum Ordine, Mutinensis Episcopus, hoc illustre Sociis testimonium ultro dedit : *Lainius et Salmeron maximo cum splendore de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contra Lutheranos disseruerunt; et revera me felicem duco, quod in hæc tempora tam doctorum, quam Sanctorum Patrum inciderim.*

Quod Ecclesia catholica docebat in Concilio Tridentino, hoc in India et Japonia S. Franciscus Xaverius prædicabat, Christique *nomen coram gentibus, et regibus* portabat *. Paulo infra Comorinum promontorium porriguntur insulæ Maldivæ : exiguæ, si molem singularum spectes, si numerum prope infinitæ; nam decem duodecimve millia esse perhibentur, divisæ in tredecim quasi globos, fuso inter singulos angusto freto. Protenduntur a septentrione in meridiem per trecentas ferme leucas sub ipso circulo æquinoctiali. Nomen invenerunt a duobus voculis *male* et *diva,* quorum prior nomen est proprium insulæ primariæ; posterior insulam quamlibet vernaculo gentis sermone significat. Arbor in iis præcipua nascitur,

Apud Indos,

* *Act.* 9. 15.

mirificæ utilitatis : ejus quippe succus certo temperatus modo, certa tempestate lectus, in vinum, oleum, lac, butyrum et saccarum transformatur : e fructu panis, e foliis charta; e trunco domus navesque conficiuntur. Incolæ Mahometanam superstitionem colunt. Si quis illorum Mecam peregre profectus, domum redierit; huic alere barbam soli fas est, religiosæ peregrinationis insigne. Comam rex militesque duntaxat promittunt. Jus regni hæreditarium, ac solis maribus lege concessum. Regis appellatio ac titulus est, *sultanus tredecim Provinciarum, et duodecim millium insularum*. Maldivas illa tempestate intestinum bellum et domestica seditio vexabat. Rex annos tantum viginti natus nec satis regnandi gnarus, dum atrociter imperium exercet, coorto populi tumultu, solio dejectus est. Capiti suo timens profugit Goam, ad Lusitanos, a quibus restituendum se in regiam, confidebat. Acceptus est a Patribus in collegium Societatis, qui operam sedulo dederunt, ut ei Mahometanam impietatem, in qua fuerat educatus, eriperent. Docilem calamitas reddebat, et P. Antonius Heredia, qui principis erudiendi provinciam susceperat, magnam veniebat in spem, illius in verba Christi Regis quamprimum adigendi. Retinebat adolescentem gravis metus ne odia popularium inflammaret vehementius, si deserto Mahomete, Christum et invisa populo sacra capesseret. Peropportune accidit, ut Xaverius

Maldivarum rex, Christo adhæret.

Goam e Japonia repeteret, legationem ad Sinarum Imperatorem meditans. Regem, animorum victrice facundia sic permovit, ut ruptis humanæ prudentiæ vinculis, eum in libertatem filiorum Dei, dato publice baptismo, vindicarit. Egit deinde cum Lusitanis, ut ad miserum principem solio reddendum arma viresque conferrent. Multa, ne res succederet, obstiterunt: reliquam ætatem privatus egit; felix calamitate sua, quæ aditum illi ad immortale in cœlis regnum aperuit.

At Xaverius ipsum Japoniæ Imperatorem Christo subjici posse confidens Meacum subierat. Omnia ingruentis belli expectatione suspensa, clausas doctrinæ salutari aures offendit. Ardebat studio visendi regis aut primarii cujusdam Bonzii, sacrorum illic antistitis: quos si alloqueretur, aliquid ab iis obtinendum sperabat. Nulla conveniendi potestas fuit. Negabatur aditus, nisi sexcentis nummis emptus; et Xaverius sola paupertate Evangelica dives erat.

Xaverius Meaci non admissus,

Itaque Amangucium, cum Joanne Fernandio remigrans regem convenit; qui cum ipsi magnam auri argentique pondus obtulisset, egit gratias vir Apostolicus, et recusato auro, nihil postulavit aliud, quam ut Rex Divinæ legis in sua regione promulgandæ ac suscipiendæ potestatem edicto faceret. Fecit, non sine prædicatione tum singularis abstinentiæ, tum inter Bonzios inusitatæ. Concurrit tota civitas ad audiendum, vix ut Xaverio,

Amangucii feliciter operatur;

et ejus comitibus spatium esset somni cibique capiendi. Instabant diu noctuque præsertim litterati, simulque de rebus plane diversis eodem tempore interrogabant, puta de animæ immortalitate, de cœlorum motu, de peccato et gratia, de pœnis inferorum et beatorum præmiis. Omnibus attente auditis, Sanctus uno et brevi responso ita satisfaciebat, quasi privatim singulos allocutus esset. Id enimvero mirum et incredibile videri; cumque cœleste donum ignorarent, arcanæ cuidam scientiæ et arti rem assignantes, Xaverium ut ceteris hominibus majorem intuebantur. Multo vero magis eumdem admirati sunt, cum ab illo restituta vox et motus fuit homini paralytico, cum soluta muti lingua, et apertæ aures surdi. Neque illud inter miracula numerandum non est, quod cum litteras sinicas ac sermonem numquam didicisset, singulis tamen diebus mane verba de rebus divinis faciebat ad numerosam Sinensium mercatorum concionem, qui Amangucii negotiabantur. Tot miraculorum atque adeo veritatis ipsius voce, convicti nobiles juxta et eruditi amplius quingenti, paucos intra dies, jurarunt in Christi verba : quodque vix credibile sit, Bonzii complures agmine uno in Christi ovile convolarunt. Eorum nonnulli tot quotidianis prodigiis, quæ apud Japones ne audita quidem unquam fuerant, perculsi, deliberaverunt de illo inter patrios Deos referendo. Id ubi stetit; delectos ad eum primores

allegarunt, qui rem deliberatam ei renuntiarent. Cohorruit ad tanti sceleris mentionem, et multa de Deo tam magnifice, de se tam demisse dixit, ut Bonzii considerata viri sancti oratione, atque adeo vita, cœli terræque conditorem spretis idolis adorarint. Nullus urbe tota nisi de Divina lege sermo : laudibus omnium celebrabatur Christus, moribus Christianorum magis. Unus Xaverium angebat dolor, quod Amangucii rex Oxindonus erigere se ad contemplandam veritatem cunctaretur, cœno voluptatum immersus : dum populum, pravis cupiditatibus vulgo expeditum, percellebant effata Evangelica tot miraculis testata.

a Fernandio potenter adjutus;

Nec minus ad persuadendum ponderis habuit exemplum Christianæ patientiæ, a Xaverii socio editum. Docebat in trivio Joannes Fernandius, cum e vulgi fæce mediastinus, quasi ad eum propius interrogandum, accessit, eductumque putri stomacho sputum in faciem dicentis conjecit. Fernandius tam gravi contumelia nequaquam commotus, sudario detersit os, ac dicere perrexit. Aderat doctor, inter Amangucianos celeberrimus, idemque Christianorum capitalis hostis : obstupuit, eamque legem divinitus datam judicavit, quæ homines ad tantam æquitatem animi constantiamque perduceret. Venit ad Fernandium, et cognitam uberius Christi doctrinam collaudans, illam suscepto publice baptismo professus est. Insigne documentum, quanto potentiora sint ad

virtutem persuadendam facta, quam verba. Ejusdem exempli pondus movit adolescentem excellentis ingenii et in Japonum academiis diu magna cum laude versatum. Amangucium venerat, ut in Bonziorum quoddam collegium cooptaretur; illorum sectam aliasque nihilo meliores attentius considerans, omnes despexit ac deseruit. Laurentii nomen sumpsit in baptismo, ac postea in Societatem Jesu cooptatus, eximiam dicendi facultatem contulit ad prædicandum Evangelium, et ingentem popularium suorum multitudinem Christo peperit. Lusco cognomentum illi fuit, ob vitium quoddam oculorum.

Jacebant interim Bonzii deserti suis in cœnobiis et contempti apud populum, ita ut a mulierculis disputando vincerentur. Sed quod illos urebat magis, rariores erant eleemosynæ et ad luxum libidinesque angustior annona. Struxere machinam quæ veteratoribus improbis ex voto cecidit, post varias artes frustra tentatas, ut Xaverium et cum eo Christi legem profligarent. Quemadmodum nihil regibus est regno suo carius, ita nullus major, quam ejus amittendi metus. Hac via regem Amangucii adoriuntur. Affirmant, populum a Lusitanis conciliari per causam et nomen pietatis, quem ubi numero validum et armatum religione viderint, non dubitaturos ipsum Regem de solio deturbare. Percussit hic Regem terror. Hunc prudenter tamen dissimulans, edictum in

gratiam Divinæ legis promulgatum non abrogavit ille quidem, sed neophytis creare molestiam, quosdam spoliare bonis, alios exilio, alios aliis vexare modis instituit. Feroces successu Bonzii legem Christianam ejusque præconem famosis lacerare scriptis palam aggressi sunt. Xaverius cedendum parumper censuit, donec turbo ille detonaret; neophytos Turriano et Fernandio commendat, cumque cognovisset naves e Sinico littore profectas subiisse Bungensis regni portum, ad illas lætus contendit, futurum sperans, ut e vectoribus ea cognosceret, quæ de Imperio Sinico rescire plenius cupiebat. Postquam Rex venisse Xaverium audivit, cujus nomen tota jam celebrabat Japonia, humanissimis eum litteris ad se invitavit. Visum est Lusitanis, e re Christiana fore, ut prima illa cum ethnico rege congressio fieret apparatu quam splendidissimo, qui obtrectationes Bonziorum everteret; Xaverium enim, ut sordidum ac vile caput Regi descripserant. Processit carbasina in veste, sacerdotalem stolam de cervice suspensam gerens. Præibant Lusitani proceres aureo decori torque, ac lautis comitati famulis. Lecti juvenes quinque latus Xaverio tegebant : unus librum ecclesiasticarum precum gestabat, serico tectum involucro; alter sacerdotalem pileum : alii alia ornamenta, quæ religiosam decebant pompam. Exceptus a primaria regni nobilitate, ad Regem deducitur, qui procumbentem ad genua benigne

et in Bungi regno, honorifice exceptus,

allevans, de religione sermonem intulit, ac fusius deinde institutus, mores et suos et suorum emendavit e Christianæ legis præceptis, quam post aliquot annos, baptismo suscepto palam amplexus Franciscum se, Francisci Xaverii memor, appellari voluit. Crebræ statim et eruditæ cum Bonziis concertationes intercesserunt, omnes utilissimæ regi ac proceribus, et religioni ejusque doctori gloriosissimæ. Bonziorum impotentia, cum argumentis premebantur, et in maledicta erumpens furor, causæ, jam per se male, vehementer nocebat. Ausi etiam Regi mala et exitia omnia imprecari, quod honorem tantum haberet doctori peregrino. Unus ceteris modestior et sanior, fretus eruditione ac fama sua processit velut ad singulare certamen. Post unam aut alteram velitationem, dedit manus, et humi coram populo prostratus: *Christe*, inquit, *fili Dei, colo te ac veneror; et hunc populum oro, ut ignoscat mihi, quod ea docuerim hactenus tamquam vera, quæ nunc falsa et fabulosa esse confiteor*. Erupit adstantis turbæ clamor, et magnam urbis partem expiare baptismi sacro latice Francisco licuisset. Libuit expectare, quia Fidem altioribus inter Japones fundandam esse radicibus judicabat, quorum acria ingenia, nisi exploratam et excussam diu veritatem, non penitus admittebant.

cum Bonziis decertat.

Ejus cognoscendæ amplam obtulit occasionem alter Bonzius, sodalem suum nimis facile

victum dolens, et inertiam illi palam ac perfidiam exprobrans. Huic Bonzio nomen Fucarandonus. Triginta ipsos annos reconditas Japonum litteras et religionem docuerat. Amplum sibi fore ducebat, si coram rege vicisset Europæum Bonzium (ita Xaverium vocabant), a quo tot indigenas doctores victos esse constabat. Ergo, sex Bonziis doctissimis comitantibus, in regiam advolat, quo pariter Xaverius et Lusitani convenere. Timuit Rex, ne tam illustri adversario Xaverius par non esset. Quem ille, bonitate causæ fretus, securo esse animo jussit. Concertationis initium a somniis Pythagoricis et decantata metempsychosi factum, quam cum Xaverius explosisset, ad praviora quædam argumenta et velut in aciem descensum est. Hinc veritas, illinc error; hinc modestia et eruditio; illinc petulantia et vetustas fabulosa pugnabant. Cum teneretur et hæsitaret Bonzius turpiter, cum amputata penitusque absurda, toto cœtu risum vix tenente, loqueretur; exarsit furentis in morem, et Regi proceribusque maledixit, adeo ut exturbandus e regia fuerit, incredibili Bonziorum dolore, atque dedecore. Efferati, et in rabiem versi, fanorum valvas tota urbe præcludunt, civesque sacris arcent: prorsus ut res ad arma et urbis excidium spectaret, nisi Rex dispositis per compita militum stationibus, coërcuisset populum, et Bonziorum audacissimum quemque perterrefecisset. Fucarandonus postquam se ex pudore ac metu

collegit, oravit Regem ut instaurandæ disputationis faceret potestatem. Annuit Rex, sed certis conditionibus, ut clamor tumultusque vitaretur. Lecti sunt arbitri judicesque disputationis, deinde scribæ, qui argumenta et responsa exciperent, constituti : postremo Bonzii quatuor tantum, e tribus millibus (tot enim cum Fucarandono venerant) in regiam admissi. Dimicatum amplius quinque diebus fuit ardore tanto, tanta Bonziorum ipsorum subtilitate, vi, pertinacia, ut eos in media natos theologia judicares. Nihil de Angelorum lapsu, de primorum parentum culpa, de providentia Numinis in gubernando mundo, in eligendis hominibus ac reprobandis, quæri captiose, acriter obiici, proponi vehementer potest, quod ab iis prætermissum fuerit; eosque non dubitabat Xaverius a Dæmone magistro suo hæc hausisse, precesque Lusitanorum qui aderant, identidem, ad refringendam inimici potestatem, postulabat. Exitus postremæ hujus disputationis idem, qui superiorum fuit : victi et furentes, iram Deorum, fulmina, perniciem, Principi, et Xaverio Christianisque imprecantes, discesserunt. Rex victorem Franciscum, aula plaudente, deduxit ad navim; unde post biennium et menses quatuor in Japonia transactos, Malacam repetiit*, ut inde aditum aliquem in Sinense imperium expediret.

* *Novembri*, 1551.

Annus Christi 1552 : Societatis 13.

Collegium Germanicum in Urbe.

Ignatius vicissim omnes indagabat vias, quibus religio facilius ac latius in Germaniam penetraret. Movebatur præcipue calamitate juventutis, quæ ab erroris doctoribus toxicum hæreseos hauriebat : quot academiæ, tot *cathedræ pestilentiæ;* et quamvis Episcopi, veritatis ac doctrinæ dispensatores, excubias pro commisso sibi grege diligenter agerent; fideles tamen ministros, quibus illum committerent, non habebant. Id aliquando B. Pater ingemiscens cum Cardinali Morono, vehementer probavit sapientissimi viri mentem, unicum tot modis remedium putantis esse, ut populo Pastores præficerentur, ex ipsamet Germania, qui et bene docerent, et recte viverent. Ejusmodi quia non facile reperiebantur, censebat formandos esse fundato collegio, ubi delecta Germanorum juventus litteras et ritus catholicos perdisceret. Fundari porro in Germania tot infecta erroribus, et armis infesta, non posse, atque adeo nusquam tutius et commodius, quam in ipsa Principe urbium, et magistra veritatis, Roma collocandum; ubi et ipsa loci sanctitas afflaret pietatem, et summorum liberalitas Pontificum egregium opus facile tueretur. Hoc ipsum Julio III venerat in mentem. Itaque Cardinalibus Morono et Sanctacrucio, rem ei totam, ut ab Ignatio fuerat explicata, referentibus, valde assensus est, statimque attributis

collegio fundando vectigalibus, eidem Societatis Præposito negotium dedit, ut conditiones legesque describeret, proponendas adolescentibus admittendis in Collegium Germanicum, ejusque curam eidem imposuit. Juvenes e variis Germaniæ partibus vocati, adfuerunt, et dies quinta Calendas Novembris, anni MDLII natalis collegio fuit: quod inter graves rei familiaris angustias Ignatii studio servatum, deinde Gregorii XIII liberalitate stabilitum, ac S. Apollinaris templo cum adjunctis ædibus donatum * ducentos interdum et amplius alumnos, excellentes ingenio, nobilitate, pietate numeravit. Hungari subinde in illud æquo jure cum Germanis adsciti. De rei familiaris administratione nonnihil obortum aliquando est difficultatis. Quippe Congregationi II Generali placuerat, ut ubicumque Societas haberet Seminaria et contubernia puerorum, abstineret penitus ab eorum re familiari administranda. Itaque Germanici collegii domesticam procurationem susceperat, non renuente Pontifice, Cardinalis Sabellus. Verum expertus rei molestias ac difficultatem, auctor Gregorio fuit, ut id oneris, quod Societas ab initio pertulerat, illi redderetur.

* *anno* 1575.

Collegium Mutinense,

Qui ad Collegium Germanicum constituendum consilii, et auxilii multum attulerat Cardinalis Moronus: idem conditor extitit Mutinensis; ejusque potissimum rogatu Mutinam octavo Calendas Octobris ingressi sunt litterarum magistri.

Perusino dedit initium Fulvius Coroneus, Cardinalis Perusinus. Eugubino Sanctacrucius Cardinalis, Eugubii Episcopus. Cum tamen nec rei familiaris stabiliendæ, nec domus, aut templi parandi spes affulgeret, inde paulo post Socii sunt revocati. Spes quoque, sed longinqua, collegii Bastiensis data, missis in Corsicam, nomine Pontificis, et reipublicæ Genuensis rogatu, PP. Sylvestro Landino, et Emmanuele a Montemajore. Insulam invenerunt rerum divinarum inscitia misere laborantem. Sacerdotes eodem, quo populus, utebantur vestitu, iisdem moribus vivebant, ac fere pejoribus. Erant, qui nullius Sacramenti conficiendi rationem, ac ne consecrandi quidem formulam, satis tenerent. Jus quoddam possessionis obtinere scelera videbantur, perpetui comites ignorantiæ, quique scelerum cumulus est, nullus scelerum usquam pudor. Vix medicam adhibere tot vulneribus manum cœperant Patres, cum repente novam insula faciem sumpsit, et sanitas animis prope depositis, concionum ac Sacramentorum ope est restituta. Qui maxime gratulari populo, et Patribus favere debuerat Vicarius Episcopi, mutationem insulæ fortunatam ægre tulit. Perstrinxit oculos revocata passim pristinum in splendorem virtus, quam nequitiæ suæ censuram interpretabatur : deinde Visitatorum Apostolicorum dignitate, qua præcones Evangelii ornatos Pontifex voluerat, auctoritatem suam

Perusinum, Eugubinum, Bastiense.

In Corsica labor et adversa.

infringi existimabat : postremo a religiosis quibusdam cœnobiorum desertoribus, quibus insula perfugium et asylum dederat, quique frenos licentiæ suæ paulatim injici dolebant, ita est concitatus, ut missis in Urbem atrocissimis litteris, Socios depinxerit omni scelerum genere coopertos. Nec satis: eodem allegavit hominem facinorosum e suo grege, qui Cardinales alloqueretur, et calumniæ tela in eorum animis altius defigeret.

Certior ab iis factus de sinistro, quo flagrabant in Corsica Patres, rumore Ignatius, calumniam persensit. Ergo unum e nostris properare clam jubet in Corsicam spectatæ fidei et industriæ virum. Is, mutata, ut jussus erat, veste, neque ulli Patrum notus, in eorum mores dissimulanter inquirit : mox rebus omnibus per otium investigatis, redit in Urbem, cum amplissimis et honorificentissimis litteris magistratuum, gubernatoris insulæ, religiosorum virorum, præfectorum civitatis, ac populi universi; quibus perlectis, Cardinales Ignatio se excusarunt, quod falso rumori fidem facilius habuissent.

In eamdem Corsicam identidem reversi sunt Evangelici tritici satores, ac præsertim anno MDXCV. Responditque messis ubertas colonorum votis : collegium tamen, certis de causis anno dumtaxat MDCII fundatum est instante Summo Pontifice, cui ejus necessitatem plerique cives optimi retulerant; adjuvantibus Thoma Raygio, et Marco Antonio

Gaberino, Patriciis Genuensibus : tota demum civitate labores Patrum sedulo promovente.

Jam florebat viris et collegiis Societas. Ejus leges et veluti formam labore multo Ignatius procudere ac perpolire pergebat, Constitutiones dico, quibus totum corpus tamquam nervis moveri, ac tanquam anima cieri debebat. Eas ille quidem perscripserat non tam atramento, quam lacrymis suis, opem Divinam et lumen implorare non cessans. Verum intelligebat vir prudentissimus, negotiorum consilia et meditationem, ab usu et actione longe esse diversum. Videri non raro sapienter et recte cogitata, quæ ad usum vocata, menti artificis non respondeant. Id secum reputans P. Hieronymum Natalem in Societatis provincias dimittit, ut ibi constitutiones paulatim in usum inducendas curet. Simul collegia Italiæ per Martinum Olavium et Joannem Bapt. Violam, inspici jubet, ut singulorum cognito statu intelligeretur, quid constitui par esset, universis. Promulgandarum Constitutionum specimen quoddam et periculum Romæ facere placuit, declarandis in Patrum consessu regulis modestiæ, levibus illis quidem in speciem, at B. Patris judicio longe gravissimis. Eas enim condiderat singulari cura, et homines Societatis in hac virtute excellere cupiebat. Illas ut audirent, a Lainio proponendas et explicandas, adesse nostros ad unum omnes voluit. Quod cum maxime fieret, corruit ea pars ædium, in quam

Constitutiones in usum induci cœptæ,

et Regulæ modestiæ.

succedere post mensam solebant, ànimi laxandi causa : qua strage obruendi procul dubio erant, nisi ad audiendum se contulissent. Haud futile documentum, quam Deo cordi essent istæ leges. Id vero nostris plane persuasum esse cupiens Ignatius, non leviter objurgavit P. Ludovicum Consalvium, cui mandata disciplinæ domesticæ custodia erat. Cum enim in exigenda tuendaque nostrorum modestia esset remissior : *Tantum in scribendis legibus laboramus*, inquit Ignatius hominem palam incusans, *et ministri nostri, quasi nobis ex gratis steterint, in illis exigendis lenti negligentesque sunt. Mihi vero istæ caro steterunt, quas cum ederem sæpe Deum consului, sæpe lacrymas fudi.* Non verbis tantum, sed indicta publice pœna castigavit juniores quosdam e nostris, quos e collegio Romano prodeuntes, et solutius in publico ambulantes viderat, eosque gravi oratione curavit admonendos, ut quem haberent insitum animis pudorem ac verecundiam, externo item corporis habitu præ se ferrent : et quoniam, Apostolo teste, spectaculum facti essent omnibus caverent etiam atque etiam, ne supervacanea locutione, curioso oculorum obtutu, aliove gestu incondito, motuve corporis, quemquam offenderent.

Sic B. Pater legum vel minimarum auctoritatem sanciebat, sapienter existimans minus quodammodo periculi esse in violandis majoribus regulis, quam in levioribus contemnendis. Quippe

incurrit sua sponte in oculos quidquid oritur damni perruptis gravioribus; at labes e leviorum contemptu nata, tunc fere tantum cernitur, cum remedio locus non est.

Eam ob causam de P. Simone Rodericio interdum non obscure querebatur. Is cum Lusitanam Provinciam regeret, legum nostrarum curam segnius gerebat, quo sibi minus, eo ceteris plus indulgens. Vidit præpositus Generalis magnam hac nimia indulgentia labem afferri disciplinæ religiosæ, quæ sensim laxatur ac languescit, nisi eam blanda prudensque severitas adstringat; itaque Provinciæ Lusitanæ curam Simoni abrogare decrevit. Idque ut mollius acciperet, illum Aragoniæ Provinciæ præfecit, ac vicissim Jacobum Mironem Lusitanis præesse Sociis jussit. His auditis Lusitani proceres, qui Rodericio morum rectore plurimi utebantur, fremere ac palam obniti: Rex ipse, ac princeps Joannes, Simonis olim alumnus, adduci non poterant, eum ut amitterent. Nec levius Socii Lusitani dolebant, quorum optimus quisque tanti viri exemplis et virtute proficere se affirmabat; negligentiores et remissiores ejusdem facilitate ac lenitate libentissime fruebantur. Ignatius hæc prospexerat. Accuratissimas ad regem, reginam, principem Lusitaniæ litteras scripsit, nec non ad Patres Leonem Henricium et Ludovicum Consalvium, qui plurimum in aula poterant, denique ad ipsum Rodericium. Ille vero,

E Lusitania Rodericius revocatur;

cui succedit Miro.

penes quem præcipuus obex, si repugnaret, futurus erat, Ignatii voluntate perspecta nullam interposuit moram, quominus confestim Provinciæ curam deponeret, præclare secum agi dictitans, vel quod onere levaretur, vel quod sibi demum uni ac Deo vivere liceret. Quamobrem B. Patrem obtestatus, ne sibi alterius provinciæ regimen imponeret, secessit in ultimos Lusitaniæ fines, ad collegii Conimbricensis villam inter montes ac vastas rupes abditam. Illuc tamen cum studia multorum e nostris et litteræ sequebantur, quo difficilior in dies fiebat Mironi Provinciæ recens susceptæ administratio. Ab eo monitus Ignatius Rodericium accivit Romam. Quo cum venisset, questus est, se immerito accusatum, nihil a se factum contra jus fasque in administranda Provincia. Non recusavit Ignatius, quin ejus querelæ audirentur, et rem totam delectis Patribus examinandam commisit. Visus est non abesse penitus a culpa. Ignatius abjectum ad pedes benigne complexus, redire in Lusitaniam vetuit : utque illi mentem hanc eriperet, auctor fuit, ut Hierosolymam, quod olim exoptaverat, pergeret. Venetiis aliquandiu substitit, valetudine impeditus, et post obitum S. Ignatii anno MDLXIV in Lusitaniam revocatus, diem obiit Olisippone anno MDLXXIX : ac documento religiosis viris esse potest, ne se personarum, aut locorum, quibus assueverunt ac delectantur, immodico studio irretiri sinant.

Provinciæ Lusitanæ turbatio, unde orta.

Mirone in locum Simonis Rodericii subrogato, nova Lusitanæ Provinciæ facies fuit, non tamen usquequaque læta. Miro acer, vigil, disciplinæ tenax erat, verum paulo durioris ingenii, et pauca humanæ imbecillitati condonans. Ita gubernandi ratio, a summa lenitate repente ad severitatem summam traducta, non paucis turbandi occasiones præbuit. Compressit istos motus Ignatii prudentia, qui mali caput ipsum aggressus, Provincialem admonuit ut regiminis asperitatem benignitate leniret. Sed Sociorum virtus ab uno extremo repente ad alterum transvolavit, insito humanæ naturæ vitio, quæ modum in rebus et medium tenere vix potest. Insolitus pietatis æstus, in collegio præsertim Conimbricensi, omnium animis inarsit : immodica corporis vexatio, contemplationis suavitas nullis circumscripta limitibus, nullus vigiliis ac jejuniis modus, quodque periculi plenissimum, sibi quisque dux ad pietatem et magister. Obstitit B. Pater gliscenti malo privatis monitis. Sed cum latius serperet labes, longiori et accuratiori epistola dedocendos Socios judicavit. Hanc epistolam inscripsit *de obedientiæ virtute*, vixque sapientum omnium judicio, quidquam reperire est in hoc genere perfectius.

Epistola de obedientiæ virtute.

Hunc in modum Societatis conditor illius leges in causa P. Simonis Rodericii sanxit. Non levius edidit exemplum religiosæ severitatis in P. Jacobo Lainio, uno item e suis novem primis

Lainius a B. Patre monitus.

sodalibus, ipsi propter eximias dotes et magna in Societatem universam merita, carissimo. Redux e Concilio Tridentino Lainius provinciam Italiæ gubernandam acceperat, idque in primis laborabat, quod rectores vulgo solent, ut collegia sua optimis operariis abundarent. Ignatius lectissimum quemque alium alio destinabat, quocumque major Dei gloria vocaret. Leniter id questus est per epistolam Lainius. Respondit Ignatius, communia commoda privatis anteponenda esse. Lainius denuo eamdem in sententiam acrius expostulavit. Cui B. Pater : *Doleo, inquit, te parum meminisse, quod monueram. Proindè quid in eo peccaveris, tecum ipse considera, simulque mihi renuntia quam hujus errati pœnam commeruisse te sentias*. Rescripsit Lainius, se postremas optimi parentis litteras iterum ac sæpius legisse, in iis multa reperisse, quæ sibi pudorem non leviter incuterent. Orat deinde, ut salubribus ejusmodi monitis errantem emendare ne parcat. Agnoscit peccatum a se fuisse graviter, tum quod Ignatii judicio, cujus prudentiam non humano solum, sed etiam cœlesti lumine collustratam nosset, suum, homuncionis miserrimi et imperfectissimi, judicium opponere non esset veritus : tum quod molestiam ac dolorem Præposito suo creasset; demum quod a via divinæ Providentiæ, sibi per Superiorem suum monstrata, deflexisset. *Quod pœnam spectat, qua me dignum fateor,* inquit,

profusis lacrymis obtestor, ut de me statuat penitus arbitratu suo; et ad extirpandas cupiditates vitiosas, unde tamquam e corruptis radicibus peccata mea progerminant, redigat me in ordinem, qui tam male præesse aliis noverim; amoveat me a munere concionandi et studendi, ministeriis domesticis etiam infimis occupatum teneat, donec vita suppeditabit; aut, si minus illis idoneus videbor, tradendis grammaticæ elementis. Proponit, si hæc minus placeant, irrogatque sibi varias corporis afflictationes, flagella, jejunia, et cilicia : denique pollicetur, daturum se operam, nihil in posterum scribat, quod optimo parenti offensionem ac stomachum movere possit. Lætus Lainii virtute Ignatius, culpam hac religiosa humilitate satis piatam existimavit. Quid mirari magis libet? An B. Patris auctoritatem in suos et tuendæ disciplinæ curam, an Lainii modestiam ac demissionem? Ex utroque certe intelligi potest, et quo pacto parere præsidibus subditos vellet Ignatius, et quanta sit in summis viris docilitas, cum vera virtus animos occupavit.

In hac prudenti severitate, quæ tanti momenti est ad religiosorum Ordinum integritatem, simillimus erat Ignatio Xaverius; adeo utrumque idem regebat spiritus et animabat. Itaque Societatis alumni ut in Europa, sic in Asia, erant ad omnem religiosæ disciplinæ normam compositi,

duce ac magistro Xaverio. Tales ex ejus prodierant schola, quos ille Romam ex India et Japonia misit ad B. Patrem, Bernardus et Andreas, hic Indus, ille Japon; ambo in patria sua Societatem ingressi. Xaverii consilium erat, ut Sociorum ille Japonum primus Ignatium complecteretur, et Romam deferret felices primitias Japonicæ Societatis, cui se votorum nexu Bernardus, ex ea gente princeps, addixerat. Illud quoque spectabat Indiarum Apostolus, ut ipse Bernardus majestatem Romani Pontificis, augustosque sacrorum ritus, in Europa contemplatus, eadem suis deinde popularibus renarraret. Omnino videbatur e priscis illis Christianis unus, et exemplar veteris sanctimoniæ. Idem erat ingenii peracuti altæque mentis, ita ut jussus aliquando de Angelis dicere, gravitate sententiarum atque subtilitate admirationem audientibus magnam commoverit. In Lusitania, quo repetiturus Japoniam venerat, pie paulo post decessit. Andreas Ignatium de statu Societatis in India, diligenter edocuit; deinde comitem se P. Sylveriæ, Cafros adeunti, obtulit, cum quo ærumnas prope martyrio pares toleravit. Xaverius interim a Japonia repetens Goam; inde, ut quidem sperabat, ad Sinas transiturus, varia edidit in ipso itinere prodigia. Navim pene fluctibus obrutam periculo eripuit. Onerariæ scapham abreptam longius vi tempestatis redonavit, duobus in locis disjunctissimis versari visus. Amico vaticinans

Sociorum primi e Japonia et India Romam missi.

Francisci Xaverii varia in itinere miracula.

mortem post aliquot annos eventuram, certa ejus indicia designavit. Peste contactis, quos nemo poterat attingere, quin eadem afflatus interiret, ipse cum Sociis incolumis et salvus ministravit. Adolescentem mortuum revocavit e tumulo. Aqua marina in dulcem conversa, quingentos vectores, qui siti adigebantur ad mortem, servavit. Puerum in aquis extinctum, sexto die reddidit vivum ejus parentibus Mahometanis, eosque Christianos effecit. Crediderat aditum ad Sinas aperiri posse, si splendida legatio ab Indiæ Prorege ad Imperatorem mitteretur. Ea mente, Goa Malacam discessit cum amplissimis muneribus, et ornatissimo legationis apparatu, XVIII Calendas Maias MDLII. Princeps legationis erat Jacobus Pereira, locuples Lusitanus et Xaverii studiosus. Huic honorem tantum invidit, ei jampridem infensus, Alvarus Ataidius, Malacensis arcis et rei maritimæ præfectus. Pereiram commovere se Malaca vetat, ejus navim detinet in portu, legationem denique penitus omitti jubet. Xaverius hominem per se et per amicos frustra lenire conatus, cum nihil ageret precibus, minis, et omni obtestatione, Apostolici nuncii auctoritatem expromendam censuit, et Alvaro ejusque administris, quicumque Sinicam impedirent legationem, sacris interdictum esse pronunciavit. Quo fulmine infelix minime deterritus perstitit in sententia et graves non ita multo post ultori Deo pœnas dedit.

Varias in Sinam penetrandi vias tentat;

Xaverius præclara spe, quam in Lusitanorum ad Sinas legatione reposuerat, depulsus, duplicem aliam rei conficiendæ viam excogitavit. Primam, ut litteras Indicæ legationis testes, quas penes se habebat, deferret ad Sinarum Imperatorem aliquo munere ornatas; sic ad eum aperiri aditum posse confidebat. Quod si mora objiceretur a Mandarinis, antequam ad Imperatorem perveniret, si conjiceretur in carcerem, si distineretur in aliqua civitate, sperabat oblatum iri opportunitatem docendi indigenas in civitate, vinctos in custodia, et per eos vinculis aliquando emissos divinam legem populo insinuandi. Quin, fieri posse, ut doctrinæ novitas curiosam et eruditam gentem cognoscendi cupiditate accenderet. Id secum reputans pergit in Sancianum insulam ex qua in Sinensem portum aliquem trajiceret. Hæc insula modico freto discluditur a Quantunia Sinarum provincia, in eoque per aliquot menses commorari fas Lusitanis erat, ut suas merces permutarent cum Sinicis. Nam prodire in continentem, vetitum imperii severissimis legibus : ac ne licebat quidem ædificare in insula : casulis utebantur, quas ex arborum ramis storeisque coagmentatas diruebant abituri. Postquam est cognitum, quid pararet Xaverius, obniti statim omnes acriter, manifestum capitis periculum denunciare, exempla proferre recentia Lusitanorum, qui cæsi virgis ad necem, et in vincula conjecti. Xaverium ista non moverunt. Certo pretio pacis-

citur cum navarcho Sinensi, ut se in continentem exponat noctu. Sed fefellit fidem, et condicto die venturum se pollicitus, non adfuit : neque inventus quisquam est præterea, qui subire tanti discriminis aleam auderet.

Destitutione illa perculsus vir Apostolicus, audit legationem ad Sinarum Imperatorem in annum proximum adornari a rege Siami, Lusitanorum amico. Erectus novam in spem, huc animum et curas adjicit, ac primo quoque tempore Malacam repetere statuit, unde in Siamense regnum, non longe remotum, transmitteret. Dum anni tempus commodum ad navigationem præstolatur, in Sanciano mansit, partim Deo et sibi vacans, partim indigenarum utilitatibus consulens. Illis permolestæ tigres erant, quæ gregatim in pagos ac penetralia domorum irrumpentes, infantium ac virorum cæde diram explebant ingluviem. Ivit obviam turmæ crudeli, et aquæ consecratæ guttas aliquot projiciens, addidit imperium, ne redirent. Arripuere statim fugam, neque in insula deinde tota conspectæ sunt.

Est interdum, ut Sancti opera quædam informent animo et destinent, auctore ipsomet Deo, qui nequaquam tamen ab illis ea præstari perficique velit, sed conatum dumtaxat curamque adhiberi. Xaverius nihil agitans levius, quam Imperii Sinici, deinde Tartariæ, tum Africæ, ad Christi regnum accessionem, et in ea cogitatione curaque defixus, **Moritur in Sanciano;**

corripitur febri, deque sua morte divinitus monetur, cujus diem et horam navarcho significavit. Morbum incussit, aut certe vehementer auxit, eorum inclementia, qui erant in eadem navi, nempe domestici et clientes Alvaris Ataidii, Præfecti Malacensis, quem ob disturbatam legationem Sinicam, Xaverius anathemate perculerat. Alphonsus quidem Noronia, Indiæ posthac Prorex, affirmare non dubitavit, Alvarum Xaverio mortem conscivisse, quem et per sese vexasset Malacæ, et in Sanciano per suos crudelissime insectatus esset. Cum propter ingravescentem morbum et navis jactationem in ea consistere non posset, in nudum littus ejectus fuit, sub dio, vento perfrigido sæviente. Hinc in vicinam deportatur casam. Haud multo commodiorem ipso littore, nimirum ventis atque imbribus perviam. In ea cum stetisset aliquot dies, in summa remediorum et alimentorum inopia, pias inter preces, summa oris et animi tranquillitate, supremum spiritum edidit, quarto Nonas Decembris anno MDLII ætatis sexto et quadragesimo, cum octo mensibus.

Qui S. Francisci Xaverii vitam primi omnium conscripserunt, mortuum narrant anno ætatis LVI, quia natum putaverunt anno MCCCCXCVI, uti fama tunc ferebat, et scheda vetus reperta in monumentis domus Xaverianæ, in qua scheda hæc latine legebantur : *Non scitur certo annus, quo natus est P. Franciscus Xaverius, vulgo tamen*

invaluit a quibusdam natum eum dici anno millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto. Eadem scheda deinde inventa est correcta hunc in modum; deleta sunt hæc verba : *Non scitur certo annus quo natus est P. Franciscus Xaverius.* Itemque ista, *natum eum dici anno millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto.* Eorum loco scribitur : *Natus est P. Franciscus Xaverius anno millesimo quingentesimo sexto;* et margini apponuntur hæc verba *natus est die 7 Aprilis anno* 1506. Hanc emendationem firmant Hispanæ voces, huic schedæ subjectæ, et eadem exaratæ manu, quæ superiora verba correxit, quæque hanc latine sententiam efficiunt. *Repertum fuit tempus, quo natus est S. P. Franciscus Xaverius, in ephemeride ejus fratris, Equitis Joannis de Azpilcueta, qui e diurno patris sui D. Joannis Jassi commentario illud sumpsit.* Huic testimonio sane gravissimo suffragantur argumenta non pauca, quæ legere est in dissertatione P. Petri Possini *de anno natali S. Francisci Xaverii.*

Annus Christi 1553 : Societatis 14.

Corpus exsangue consperserunt Lusitani viva calce, ut ossa nuda, exesis carnibus, deportarent in Indiam, appetente vere. Refodiunt tumulum post duos menses : cadaver cum ipsis vestimentis integrum reperiunt, odore suavi manans, carne succi et sanguinis plena. Miraculum conclamant, *ejus corpus incorruptum reperitur.*

et humi procumbentes, sacrum pignus venerantur. Illi ipsi qui ut Alvaro gratificarentur, tam duriter, ac barbare sanctum virum tractaverant, detestantur immanitatem et veniam supplices orant. Omnes corpus referunt in navim, ac secundo cursu Malacam petunt. Obviam se plenis portis tota civitas effudit. Solus Alvarus, ut forte ludo tunc indulgebat, pietatem populi et, quemadmodum aiebat, simplicitatem derisit, minasque ore truci jactans, ad ludum sese retulit. Terruit civitatem gubernatoris indignatio. Detractum feretro corpus in communi plebis sepulcreto pavidi silentesque componunt. Xaverius maleficia compensare beneficiis solitus, ingratam urbem insigni affecit munere. Luem quippe contagiosam, quæ magnam civium partem quotidie absumebat, subito penitusque compressit. At graves ab Alvaro pœnas Divina justitia, cui Sanctorum honor curæ cordique est, repetiit. Accusatus haud ita multo post tetris criminibus, et ab Indiæ Prorege, magistratu spoliatus est; mox Olisipponem, ut ibi causam diceret vocatus, addictis fisco bonis, in carcere contabuit; turpi confectus morbo, et omni auxilio destitutus, nemine fœtorem impuri corporis sustinente.

Jam aliquot mensibus pretiosum Xaverii corpus sine honore jacuerat, cum P. Joannes Beira, Molucum petens divertit Malacam, ut sacrum depositum, quod esse incorruptum audierat, inspiceret. Nocte intempesta cum Sociis ad sepulcrum

venit; eoque patefacto membra prorsus integra, et velut adhuc spirantia, reperit. Avehunt occulte beatos artus, et in pretioso conditos feretro Goam, Alvaro inscio, deportant. Totum iter illustribus miraculis consignatum fuit. Plura et insigniora edita sunt Goæ; quo devectum venerabile depositum XVII Calend. Apriles anni MDLIV, ac triumphantis ritu, inter festas plaudentis populi clerique voces collocatum in templo Societatis, ubi, dormientis more stratum in divite feretro, etiamnum visitur. Brachium dumtaxat dextrum abest, quod jubente Claudio Aquaviva, Præposito Generali Societatis, a reliquo decisum corpore, et Romam anno MDCXIV delatum, colitur in æde Professorum, et populi votis, donariisque celebratur.

Japoniæ status post Xaverii mortem.

Non est extinctus cum Xaverio sacer ille, quo flagrabat, ardor Evangelii per omnem Japoniam disseminandi. Quin illius et præteritis exemplis, et præsenti apud Deum patrocinio, vehementius exarsit. Secum duxerat in Japoniam anno MDXLIX duos præstantes operarios e Societate P. Cosmum Turrianum, et Joannem Fernandium. Addiderat iisdem, paulo antequam in Sancianum vela faceret, P. Balthazarem Gagum, Petrum Lalcavevam, et Eduardum Sylvam. Istis quinque operam amplificandæ rei Christianæ non segniter navantibus, religio magnis aucta est incrementis, præsertim in regno Bungi. Adolescens jam inde ab ortu luminibus captus, simul ac salutari tinctus est aqua,

recepit aspectum. Quod tam illustre prodigium recentibus Christianis multum attulit roboris, et cœcis ethnicorum mentibus multum lucis. Itaque templum primum et domicilium Societatis Bungi est conditum hoc anno MDLIII. Amangucii vero qui aggregabantur ad Christum quotidie plurimi, tam erant dediti officiis omnibus pietatis, ut eos e media cœnobiorum sanctitate prodiisse diceres. Auxerunt eorum numerum, et Religioni magno fuere ornamento urbis gubernator, homo ætate, prudentia, et dignitate conspicuus, cum duobus liberis; tum alter haud minus nobilitate generis, quam superstitionis diuturno studio notus. Quippe vitam ad annos LXX produxerat, perdiu ante inanium Deorum simulacra quotidie stratus; adeo ut frons et manus, quibus pavimentum feriebat Japonum adorantium more, callum haud aliter ac pedum plantæ duxissent. Sed nihil ethnicos æque perculit, atque Bonziorum duorum improvisa mutatio. Principatum quemdam tenebant inter suos, tum dignitatis, tum eruditionis : et ad eam sapientiæ perfectionem pervenisse ferebantur, nihil ut relictum sibi putarent esse, quod discerent. Audita Europæorum theologorum fama, veniunt Meaco Amangucium, seque novæ ac peregrinæ theologiæ hostes professi congrediuntur cum P. Turriano, qui prorumpentes, ac tela gravissima non molli torquentes manu, tam comiter excepit, tam erudite retudit, ut posita parumper

ferocia, in familiarem congressum ultro descenderint. In quo cum Turrianus locum nescio quem ex Apostolo Paulo sumptum protulisset, quæsivit alter illorum, quis ille Paulus esset. Tum vero Doctoris gentium conversionem ad Christum resque gestas aggressus narrare Turrianus, hominem exemplo tanto vicit. Perfusus inopina luce, abjicit se in genua, baptismum orat; quem, simul cum Pauli nomine suscepit: ejus comes Barnabæ appellatione signatus est.

In Provincia Brasilica religionis progressus,

Haud minus res Christiana inter Brasilos læta; ubi cum Sociorum numerus ac domicilium in dies augeretur, S. Ignatius proprium Brasiliæ Provincialem designavit Emmanuelem Nobregam. Is duas Societati sedes collocavit in præfectura S. Vincentii, ubi paulo ceteris mansuetiores barbari, pacatioresque videbantur: alteram Manicobæ, alteram Piratiningæ. In præfectura vero S. Spiritus sodalitas instituta est, cujus præcipua lex et munus esset, non modo certa vitia fugere, Brasilis usitata, verum etiam alios ab iisdem omni ope deterrere. Nec parum ad virtutem incultis mentibus commendandam et inserendam valebant exempla cohortationesque P. Josephi Anchietæ, qui hoc anno ingressus Brasiliam, primus in isto ignorantiæ et immanitatis quasi domicilio, latinas litteras et studia humanitatis docuit Piratiningæ*. Sermonem quoque Brasilum præceptis et arte complexus, magna laboris parte præcones doctrinæ

Ejus vitam vide, p. V. Hist. S. J. L. 25, n.° 40.

cœlestis sublevavit, qui in molestissimis ignotæ linguæ salebris hærere vulgo solent. Idem pia carmina sparsit in vulgus, quorum ope impias voces et obscenas exclusit. Et quia vitiorum etiam deterrimorum fœditatem gens innutrita flagitiis non videbat, ea produxit in scenam, et in ipsis velut oculis, quantum pudor ac modestia sinebat defixit. Rei novitas, et Christianæ legis in tantis inscitiæ criminumque tenebris clarissima lux, paulatim sese aperiens, finitimas nationes excivit, ac præcipue Carigios. Exspectatis diu, quos ad se invitaverant Patribus, non dubitarunt amplius ducenti ad eos proficisci, ducibus aliquot Hispanis, et suscipere longum infestumque hostibus iter, baptismi gratia. Sed a Tupinaquinis intercepti, trucidatique magnam partem suo cruore lustrati et expiati sunt, pauci ad lanienam et ferales epulas reservati, inque illis aliquot Hispani. Quo cognito, Patres ad eos misere Petrum Corream, linguæ Brasilicæ peritum, et Joannem Sosam, ut mitigata barbarorum ferocia, Hispanos a nefariis manibus, faucibusque vindicarent. Ambo a crudelibus laniis, ut anno sequenti referemus, misere perierunt.

pericula et mortes.

P. Henricius crudelissime tortus in India.

Non mitiores Indos expertus est P. Henricus Henricius, nec per eos stetit, quin pariter periret. Datus a Xaverio fuerat, post necem P. Antonii Criminalis dux et Præpositus Sociis, in ora Malabarica, præstanti probitate vir, et sermonis Malabarici gnarus, cujus præcepta in artem ac

methodum redegerat, ut facilius a nostris perdiscerentur. Itaque in oppido Coulano, et ora Piscaria præ ceteris, linguæ vernaculæ minus peritis, utiliter laborabat : usuque longo animadversum est, sermonis inscitia parum apud barbaros profici, quamvis idonei non desint interpretes : ac multum in eo vidit S. Ignatius, dum præcepit, ut in qua quisque nostrum regione versetur, ejus regionis sermonem ediscat. Id cum Henricius plane observasset, eam erat adeptus linguæ cognitionem, ut fabulas ethnicorum scriptis etiam egregiis refelleret, gentisque doctores unus universos ad disputationis certamen provocaret. Nec minor ad quoscumque labores tolerandos alacritas inerat. Tam copiosa inter hæc dulcedo divinæ consolationis affluebat, ut affirmaret malle se in hac assidua corporis animique defatigatione perpetuo versari, quam subito in cœlum rapi. Neque vero ista splendidius verbis commemorabat, quam fortius præstabat factis. Mauri prædones juncti Badagis oppidum Punicale invaserant; eo direpto venit Henricius in illorum potestatem. Repetunt captivum Lusitani, et arma bellumque nisi reddatur intentant. Neque abnuunt barbari, sed pretium immane pro ejus capite statuunt, utque illud a Lusitanis citius faciliusque extorqueant, captivum diris cruciare modis aggrediuntur. Ferream catenam perbrevem collo implicant : eâdem crura et pedes ita constringunt, colloque apprimunt, ut

in globum convolutus colligatusque, dolores longe gravissimos membris fœde intumescentibus luxatisque sustineret. Lusitani regem Badagarum appellarunt, quo demum jubente, persolutaque non levi pecuniæ summa, post tres totos menses dimissus ad pristinos labores se retulit.

Socii tres post naufragium fame absumpti.

Durior quodammodo sors fuit trium e nostris, qui vela in Indiam biennio post fecerunt. Dum Goam Mozambico læti tendunt, oneraria, qua vehebantur, syrtibus per noctem illiditur. Ægre vectores in arenarum acervum lembo evecti sunt. Ex iis triginta Goam eodem in lembo festinarunt, ut naufragis necessariam referrent opem. Reliqui e ratis laceræ fragmentis adornant scapham : huic homines quadraginta impositi per sexcenta discrimina Cocinum appulerunt. Patres in eam invitati, remanendum sibi putaverunt in arenæ cumulo, in quem fuerant ejecti, ne vectores qui restabant centum et septuaginta desererent. Quorum cognito periculo, Prorex Indiæ navim cum idoneo commeatu statim remisit. Ea dum miseros vasto conquirit mari, fames cunctos oppressit, præter sex septemve qui confecta e naufragii tristibus reliquiis cymba, in ignotas quasdam insulas denique pervenerunt. Hæc pericula, et virorum fortium ærumnæ illustres, nostris in Asia degentibus novos stimulos addiderunt : præsertim in insulis, ubi Indorum levitas religionem in grave periculum adduxit.

Post excessum enim S. Francisci Xaverii, insularum Mauricarum incolæ a Lusitanis Christoque defecerant, seque Gilolæ (una Molucarum est) tyranno dediderant. Continuo agri, velut pristinæ obliti ubertatis, exaruerunt: aquas antea salubres amarus noxiusque sapor infecit; corruptæ in horreis fruges; pestilentiâ multi mortales absumpti: nec satis, e montium jugis, cum horrendo mugitu dirisque tonitribus, toto triduo tetrum erupit incendium, ac tanta cinerum lapidumque vis egesta, ut campos late oppleverit: accessit ingens terrarum motus, quo et arbores evulsæ radicitus, et tecta diruta. His rebus cognitis P. Joannes Beira, qui diu multumque in Mauricis desudaverat, confestim illuc e Ternata transmisit; attonitos dispersosque congregavit; quanto scelere per eam defectionem se adstrinxissent, benigne admonuit: solemnique ritu expiatos in Ecclesiæ sacrosanctæ sinum restituit. Inde nova rerum facies, sua salubritas aquis, sua fecunditas arvis, rediit. Ethnici tot prodigiis permoti, catervatim ad Sacerdotem baptismi causa concurrebant, ut interdum uno eodemque die quina hominum millia, et spatio unius hebdomadæ interdum quindena, Divinam adoptionem consequerentur.

In Mauricis insulis defectio, sed non diuturna.

Socios et adjutores flagitanti P. Beiræ divina Providentia non defuit. Joannes enim tertius Lusitaniæ rex domum Professorum et Collegium Societatis Olisippone condidit tamquam duo Seminaria,

Olisippone Domus Prof. et Collegium.

ex quibus divinæ legis præcones educerentur. Domus collocata primum fuit ad ædem B. Rochi, annuente opificum sodalitio, quorum id templum ac domicilium erat, quo in loco postea constructum est ædificium, regia munificentia dignissimum. Collegium in ea regione urbis mansit, ubi S. Antonii ædes visitur, quæ venientibus in Lusitaniam Sociis primum fuerat attributa. Confluxit in scholas auditorum lecta multitudo, quæ quanta fuerit intelligere vel inde licet, quod uni Francisco Rodericio, qui conscientiæ causis explicandis præerat, dabant operam quadringenti. Cum autem Almerini frequens ageret aula, domicilium illic datum fuit Societati, ut ejus ministeriis proceres commodius fruerentur. Sociorum Olisipponensium charitatem vitæ prodigam tota Lusitania celebravit anno MDLXIX : cum sæviente pestilentia, in medium discrimen se conjecerunt, in eoque amplius duodeviginti feliciter fortiterque ceciderunt. Tironum domus a collegio sejuncta est anno MDXCVII. Eam condidit Ferdinandus Telles, atque idoneo censu fundavit.

Provincia Sicula.

In Sicilia, quæ Provinciæ jura et nomen hoc anno consecuta est, auctor exstitit Collegii Montis regalis, princeps Farnesius Cardinalis.

Collegium Cordubense,

In Hispania autem Cordubense collegium pepererunt hominum duorum plane discrepantes erga nostram Societatem animi; unius quidem aperta benevolentia, alterius vero occulta malevo-

lentia. P. Antonius Corduba, S. Francisci Borgiæ consobrinus, hortatu ejusdem et exemplis incitatus, cum Romana jam esset vestiendus purpura, religiosæ vitæ humilitatem honori amplissimo prætulerat. Statim de adducenda Cordubam Societate rationem iniit. Jam negotium promoverat, ope affinium et auctoritate, cum domus ampla, unde non sperabatur, oblata est. Cordubensis Ecclesiæ Decanus* vir splendore generis opibusque pollens, a Societate videbatur alienior, quam vel parum, vel e malevolorum dumtaxat sermonibus cognoscebat. Hanc studuit explorare, ac nostros, qui collegii constituendi causa Cordubam accesserant, invitatos domum, curiosis oculis, ne dicam malignis, observavit. Aspectos diligenter, probavit amavitque, ac domum suam cum divite ad sacros usus instrumento dedit. Quin, fructus annuos collegio statuendo tuendoque decrevit. Adjunctum collegio tirocinii domicilium est anno MDLV in earumdem ædium portione separata, sed Granatam anno sequenti translatum. In hunc etiam annum incurrunt primordia collegii Abulensis, adjutore Sacerdote Societatis Hernando Alvario, ejus urbis cive. Constitutum ab eo gymnasium magnis incrementis auxit Ludovicus Medina, qui se postea Societati tradidit. Quamobrem hunc Franciscus Borgia collegii patrem ac fundatorem dixit.

* *Joannes Corduba.*

et Abulense.

Annus Christi 1554 : Societatis 15.

Eidem Borgiæ tribui possunt initia collegii Placentini, nati cum Septimacensi Probationis domo. Latuerat usque ad annum MDLII in secessu Ognatensi, uni velut affixus loco. Sensit Ignatius, quantum boni ex illius virtute in totam Hispaniam derivari posset, si lucerna hæc veluti

Matt. c. 5.

sub modio posita, super candelabrum * *poneretur*. Itaque ad eum scribit, monetque vocatum in Societatem fuisse, non ut abderet sese in solitudinem, aut sibi vacaret uni, sed ut Christi exemplo multorum saluti sempiternæ serviret. Proinde, relicto illo quantumlibet pio ac tranquillo secessu, pergeret, quo ipsum publica res et multorum salus vocabat. Paruit continuo Dei famulus, haud ignarus obedientiam virtutum omnium caput ac summam esse. Urbes ac pagos ex itinere oblatos perlustrabat *prædicans regnum Dei* et infinitam populi multitudinem, quæ nullis templorum spatiis concludi poterat, dicendo faciendoque instituens; in valetudinariis et hospitiis pauperum diversari gaudens, licet ei amplas ædes amici nobiles aut propinqui offerrent. Venit Burgos vocatus a Canonicis et urbis primoribus, nec non ab imperatoris filia regis Lusitaniæ filio desponsa, cujus pietatem præclaris monitis instruxit. Ægre ab illa dimissus petiit Salmanticam, et doctoribus eruditis evangelicam doctrinam adeo

S. Fr. Borgia Hispaniam lustrat.

feliciter insinuavit, ut multi adolescentes præclaræ indolis et summæ spei, ad eam profitendam in varia cœnobia se receperint. Inde a rege Lusitaniæ Joanne III et regina Catharina invitatus, Olisipponem subiit. Brevi tamen illum gravia negotia in Castellam revocarunt. Properanti moras objecit Henricus Eborensis Archiepiscopus, necnon Theodosius Bragantiæ dux, qui omnes ejus modestia, sermonibus, prudentia capti, majorem sua esse fama prædicarunt. Vallisoletum digrediens, domunculam sibi delegit in xenodochio. Hæc in aulam brevi conversa quodammodo fuit, tanta vis procerum aulicorum in eam confluxit. Prodibant ex illo Borgiæ tugurio penitus mutati, et in alios quosdam transformati, ex ambitiosis humiles, ex avaris pie profusi, e ferocibus et protervis modesti et compositi. Quotidie novum aliquod hujus generis miraculum edebatur, attonita civitate. Duo e multis referam.

Moscheram Deo reconciliat et Societati.

Erat ordinis regii Commendator, ut vocant, Joannes Moschera, notus antiqua nobilitate, flagitiis notior. Probis omnibus hoc nomine uno infestus et capitalis hostis, quia probi et sibi dissimiles; improborum contra patronus et signifer. Hic Societatis templum aliquando præteriens, cum obsideri fores a conferta cerneret multitudine, quæsivit quid rei esset. Respondent Borgiam concionaturum exspectari. Furere scilicet homo perditus, et Borgiam ejusque sodales devovere :

demum magna voce contestari, malle se in tartarum detrudi, quam in eum, ubi esset ille, locum subire. His auditis ingemuit Borgia, pro eo quo improbos prosequebatur amore, præsertim inimicos (nam istorum maleficia in summis beneficiis numerare consueverat). Vicem igitur ut referret homini tam bene de se merito, Deum multis sacrificiis pœnisque voluntariis placare per dies octo studet. Quibus transactis, pergit in villam, ad quintum ab urbe lapidem, ubi rusticabatur Moschera. Obstupuit ad Borgiæ conspectum et pudore, metu, reverentia quadam, constrictus, a maledictis, contra quam solebat, abstinuit. Multo vero magis expavit, cum Franciscus ipsi ad pedes accidit, rogans veniam si quid commisisset, cur eum sibi suisque mereretur habere tam infensum. Hominis improbi cecidit exarmatus furor. Advolvitur supplex ad Borgiæ pedes, veniam precatur, meliora spondet. Lætus Christi famulus allevatum suavissime complectitur, audit peccata totius vitæ confitentem, et in gratiam reducit non solum cum Deo, sed cum hominibus, quos omnes, ut odio habebat, sic omnibus odio erat; itaque non prodibat in publicum nisi accinctus ferro, et militum stipatus manu. Tenuit constantiam in bene cœptis, Francisci ductu, cujus modestiam, humilitatem charitatem observans et admirans in dies magis, tanto evasit amicior Societati, quanto ipsam antea pejus oderat. Itaque

illi geminam domum, quam Septimancæ habebat, donavit. In earum unam migravere Socii quarto nonas Octobris hujus anni, eaque domus anno sequente tironibus data. Diversabatur in iisdem ædibus Moschera, tamquam unus e tironum grege; id sæpe dolens, quod Societatem serius cognovisset.

Probationis domus Septimancæ.

Antistes quoque Placentinus * egregiam probitatem, quam etsi tardius et provecta jam ætate amplexus est, Borgiæ precibus et apud Deum meritis acceptam retulit. Episcopali dignitate fuerat ornatus admodum adolescens *, et onus humeris impar ita gesserat per annos fere triginta, ut profanis moribus sacri ministerii dignitatem fœdaret. Omnium artium, quæ virum in castris et aula nobilem decent, apprime gnarus, et in omnibus summus; in officio boni antistitis nullus, vitio illis familiari qui natalium commendatione obrepunt ad sacros honores. Jacebat Placentina diœcesis in miserabili rerum Divinarum ignoratione; errorum ac vitiorum sentibus omnia silvescebant. Subiit canonicos justus dolor. Litem intendunt Archiepiscopo. Jubetur agrum diu neglectum excolere. Molestam procurationem transtulit in homines Societatis, quam e concilio Tridentino cognitam habebat, et præcones Evangelii a Borgia postulavit qui, nulla interposita mora, quotquot petebantur ipse adduxit. Antistes pium excepit agmen urbanitate sua solita nullumque lauti et

* *Guttierus Carvaial.*

* *anno* 1523.

elegantis hospitis officium a se desiderari passus est. Egit ingentes gratias Borgia, et hic vicissim ejus animæ graviter laboranti facere medicinam studuit, quo beneficio nullum ipsi præstare majus poterat. Opem Dei supplex ac misericordiam implorat, qui salus animorum potens et arbiter est. Instat diu noctuque, per se, per socios; vim quamdam affert Divinæ clementiæ, sancta et pertinaci triginta dierum supplicatione; multum sanguinis ac lacrymarum fundit. Ita se Deus expugnari gaudet. Quem ubi placatum et faventem sensit Borgia, lætus ad Socios post fusas preces accurrens : audivere nostra Superi vota, inquit, dabit manus amicus Antistes, et noster, Deique totus erit. Hæc maxime dicenti Præsul intervenit, dolorem vultu præ se ferens, quem pœnitentia salutaris affert. Renuntiat, certum sibi esse, aliam deinceps vitam vivere, ac præteritæ omnino dissimilem. Laudat enimvero consilium Borgia, et a sæculi tumultu abductum in solitudinem, piis meditationibus exercet, confitentem de peccatis expiat, et idoneis monitis in proposito confirmat. Sinceram fuisse pœnitentiam fructus uberrimi et amplissimi docuerunt. Cuicumque damni quidpiam intulerat, resarciri statim jussit : familiam purgavit hominum improborum fæce. Lites, quas habebat cum Capitulo civibusque sexcentas, Borgiæ componendas permisit. Pecuniæ vim magnam, profani olim luxus alimentum, ad suble-

vandas pauperum calamitates contulit, quorum trecentos, interdum mille, alebat erudiebatque domi. Denique ut piis operibus perennitatem conciliaret, etiam post vitam, sancte ad ultimum usque diem peractam, collegium Societati Jesu dedit, in quo civitas Placentina colligere fructus pergit vitæ sanctioris, quam suo Præsuli preces et exempla Borgiæ inseverant.

Collegium Placentinum,

Cæsaraugustanum quoque collegium Borgia olim delineaverat; sed vix informatum, repetitis per annos ferme octo calamitatibus, deletum est. Joannes Consalvius, regiæ pecuniæ administrator, domicilium cum æde sacra Societati dederat Cæsaraugustæ anno MDXLVII. Obstitit Archiepiscopus, novæ familiæ accessum non probans : ab hæredibus etiam Consalvii motæ sunt lites super domicilio Societati dato, et Ignatius pacis causa discedere Socios Cæsaraugusta jusserat. Intercessit civitas et ratum voluit esse, quod ipsis Consalvius donaverat. Sed cum piis eorum conatibus præsul non obsecundaret, ac multis insuper calumniis ipsorum patientia vexaretur, sementem dumtaxat futuræ messis jaciebant, quam opportuno tempore colligerent. Perfecit Dominicani cœnobii præses, ut causa Collegii ad communem urbis conventum referretur. Decretum est, ut conquireretur locus. Diligitur unus omnium maxime idoneus; at ejus possessio ne iniretur, stetit per quosdam cœnobitas, questos fieri contra finium suorum

et Cæsaraugustanum.

jura. Omissus iste locus, pacis itidem causa, fuit. Quicumque alius legebatur; modo religiosi viri, modo clerici, quasi conjuratione facta cooriebantur. Demum repertus est, opera P. Francisci Stradæ qui civium animos ad negotium conficiendum nativa facundia permovit*. Duæ in vicinia erant parœciæ, quarum curiones propinquitatem collegii ferre non poterant. Ergo per absentiam Antistitis, quem alienum a Societate, ac sibi assensurum norant, litem nobis intendunt; edicit antistitis Vicarius, ne quis rei Divinæ in templo nostro intersit. Omnes defensionis et concordiæ viæ obstruuntur. Societas divis carminibus et exsecrationibus, probroso etiam notatur anathemate. Idem in cives fulmen intorquetur, quicumque aut in æde Societatis sacris interfuisset, aut partes nostras causamque susciperent. Procax adolescentum turba domus nostræ fenestras lapidum grandine lacerabat. Licet probe intelligerent Patres anathematis, quo fuerunt a Vicario mulctati, vim nullam esse, tum alias ob causas, tum præcipue ob interpositam in tempore ac secundum leges Apostolicæ Sedis appellationem, tamen domi se continebant, dum nimbus atrox præteriret. Sed cum in horas augeretur periculum, cui nemo vel poterat, vel audebat occurrere; multa prius, ut par erat, apud Senatum contestati, redditis ædium clavibus, discessere. Habet hoc omnis animi perturbatio violenta, ut quanto est æstuosior, tanto

* *anno* 1555.

citius refrigescat. Auctores vesani tumultus pœnitere paulatim cœpit; partim metu, ne pœnas tandem aliquando darent, partim conscientia impietatis et audaciæ. Supplices ad Antistitem recurrunt, qui re attentius considerata, et ne populi furor in majus aliquod malum erumperet metuens, Vicarii sui edictum rescidit, irritas et inanes fuisse censuras pronuntiavit. Patres in urbem revocati; tantoque constantior ac dulcior serenitas mansit, quanto procella vehementior extiterat. Profuit hyems arbori tenellæ, ut radices altius ageret, ac fructus in posterum uberiores efferret.

Antequam turbæ illæ componerentur, Ignatium, et Borgiam, quorsum illæ tandem evaderent anxios, non leviori affecit solicitudine aversus a Societate animus Summi Pontificis propter edictum Caroli V; quo ille præcipiebat, ut e præscripto Concilii Tridentini, cuicumque beneficiis in Hispania Ecclesiasticis gaudebant, ii suis in Ecclesiis et Diœcesibus residerent Hispani. Sacerdotes, qui Romæ versabantur, quosque maxime hoc edictum spectabat, questi sunt graviter cum Pontifice, quasi Carolus Apostolicæ Sedis jura attentasset. Julius III ejusmodi querelas in Cæsarem olim jactatas non nesciens, cum eo graviter expostulavit: et quoniam fama erat, Societatis homines ex aula Cæsaris architectos, auctoresve hujus edicti esse, ab iis repente sic alienatus est, ut a Palatio

Pontifex infensus placatur.

Apostolico prorsus arcerentur, nec pro illis quisquam facere verbum auderet.

In tantis tenebris oborta subito lux est unde minime exspectabatur. Ferdinandus Romanorum Rex de gravissimo negotio scribens ad Pontificem, rogavit ipsum, ut super eo non gravaretur audire Præpositum Societatis, eisque fidem habere, quippe cui arcanum suum commisisset, ac certa dedisset mandata, nulli ab eodem aperienda, nisi Summo Pontifici. Pontifex, de negotio, quod agebatur æque ac Ferdinandus ipse solicitus, acceptis ejus litteris, Ignatium statim arcessit. Qui cum peteret Vaticanum, ignaris omnibus quid pararet, ac mirantibus quod in Pontificis conspectum tam fidenter veniret, continuo admissus, postquam Ferdinandi mandata exposuit, mentionem injecit de edicto Hispaniensi, ac Societatem de rumoribus male disseminatis ita purgavit, ut Pontifex placatus affirmaverit, nihil esse detractum de sua in eam voluntate falsis hominum sermonibus, seque illi nullo unquam loco defuturum. Accito quoque sui præfecto cubiculi mandavit, ut quoties ad sese Ignatius accederet, omnes ei confestim paterent aditus : neque committeret, ut moram traheret pro foribus; sed se protinus de ejus adventu commonefaceret.

Geminam hanc in Hispania et Italia tempestatem, tertia excepit in Gallia, ubi theologicæ facultatis et Collegii Sorbonici Decanus non satis

habuit contra illam in frequenti cœtu declamare; verum etiam sua sponte, sine ullo facultatis mandato, Theologos sibi addictos congregavit, a quibus conditum est Calendis Decembris atrox adversus Societatem decretum, ceteris partim obscure, partim aperte reclamantibus. In eo Societatem accusabant, quod Jesu nomen sibi arrogaret; quod sine delectu quaslibet personas, quantumvis facinorosas, spurias, infames, admitteret; quod nulla in re discreparet a Sacerdotibus e vulgo sumptis; quod innumeris privilegiis et immunitatibus, per Summos Pontifices donatis, labefactaret Præsulum, academiarum, et religiosarum familiarum jura, imo dominorum civili potestate præditorum; universum denique ordinem Hierarchicum perverteret. Quibus omnibus diligenter examinatis et expensis: hæc Societas, inquiebant, Fidei Catholicæ periculum creare, pacem Ecclesiæ perturbare, Monasticam disciplinam convellere, denique ad destructionem potius, quam ædificationem comparata esse merito judicatur.

Decretum Sorbonæ contra Societatem;

Hujus decreti capita omnia ita perspicue sunt falsa; ut non tam Societati dolendum sit, quod ipsam Parisini doctores nondum satis notam vexaverint; quam lætandum, quod postea cognitam, mutata sententia, probaverint *. Episcopus, cujus maxime partes erant, ut susciperet patrocinium confirmatæ ab Sede Apostolica Societatis, decreto Theologorum velut armatus, præsentis anathema-

* *anno* 1594.

tis pœnam nostris omnibus intentat, et ne conciones habeant, ne ministrent sacramenta, ne divinam rem denique faciant, interdicit. Cardinalis Lotharingus, plerique omnes boni, atque adeo multi e collegio Sorbonico theologi, causam Societatis et innocentiam tutabantur. Instabant nihilo segnius adversarii, et sævis rumoribus ita populum incendebant, ut non liceret Dei famulis apparere in publico, nisi ut conviciis, ac pene saxis obruerentur. Nihil admodum ad hanc tempestatem sedandam scriptum a nostris Lutetiæ, nihil adversariis responsum fuit. P. Paschasius Broëtus Sociorum moderator, vir sane pius et doctus, at litium fugitans, et sua se patientia consolans, superis omnia placide commendabat; sed his Romæ auditis patres præcipui refutandum sedulo Sorbonæ decretum existimabant. Aliter sensit Ignatius, videbat irritandos acri, ut fit, responso animos doctorum, quos leniore quadam via placatum iri confidebat. Itaque vocatis in unum Patribus : certis in causis, inquit, præstat silere, quam loqui; nec vindice opus stilo, ubi sui ipsius vindex et propugnatrix est veritas. Magna sane Parisiensium theologorum auctoritas est, quam proinde revereri nos decet; neque tamen ea nos conturbet. Nihil diu præponderat veritati : oppugnari quidem illa potest, expugnari non potest.

S. Ignatii de illo judicium.

Interim scripsit ad omnes Societatis Provincias ac domos et ad se mitti quamprimum jussit

obsignatas ab Episcopis et animarum Pastoribus, a Magistratibus, Præfectisque civitatum, testificationes ac litteras de nostrorum moribus, atque doctrina, totoque vitæ genere; ut paucorum theologorum judiciis, qui nondum satis ipsos norant, universi prope Orbis testimonium ac judicium opponeretur. Nec omittebat tamen undique rimari locum ac tempus opportunum diluendæ efficaciter ac sine invidioso tumultu calumniæ. Itaque cum cognovisset, venisse Romam Cardinalem Lotharingum, doctoresque aliquot Sorbonicos in ejus comitatu, optimum factu judicavit, si eos coram de Societatis Instituto plenius edoceret. Cardinalem rogavit, ut ejus domi certo die certorum hominum cœtus haberetur. Interfuere Doctores quatuor, isque potissimum, qui decreti Sorbonici inventor et architectus fuisse ferebatur. Accessere de Societate totidem theologi Lainius, Olavius, Polancus, et Frusius. Recitabantur singula decreti capita, iis respondebant Patres, illustrabant obscura, dubia solvebant; causamque Societatis ita probarunt, ut Cardinalis eam a Doctoribus male cognitam affirmaverit; laudaveritque modestiam Ignatii et charitatem, qui Sorbonicum decretum, neque ad Cardinales, neque ad Pontificem detulisset : idque ipsum Doctores factum sapienter ab eo et benigne, confessi sunt. Eam disputationem scripto deinde explicavit, et ad Parisienses Magistros misit Martinus Olavius noster, ipse

quoque doctor antea Sorbonicus. Exstat illa ejus conscripta verbis*. Nec publica vox florentissimæ academiæ Salmanticensis defuit; cujus Doctores quatuor et viginti amplissimum pro Societate testimonium, contra Parisiense decretum ediderunt. Sacri vero in eadem Hispania Quæsitores illud Decretum, ut falsum, et Sedi Apostolicæ injuriosum, condemnarunt. Accessere gravissima Europæ fere totius, et perhonorifica Societati testimonia, quibus refutatum palam decretum, sua sponte obsolevit et antiquatum est. Itaque favente Rege, et placatis comperta veritate Doctoribus, Societas suis placide fungi ministeriis cœpit.

* *P. I. Hist. Soc. Lib. XV n.º 46 et seq.*

Collegium Billomense,

Hac usus opportunitate Claromontanus Episcopus Billomense collegium in sua diœcesi fundavit. Canonici et cives publicam nobis academiam obtulerunt. Componendi, et rebus necessariis instruendi collegii curam sibi Præsul optimus depoposcit, et auditores initio anni MDLV quingentos, extremo anno septingentos in classes quinque distributos lætus vidit.

Genuense,

Genuam Superiori anno Lainius, ut operam daret collegio inchoando, profectus, eo rem deduxit, ut summa civium voluntate acciperetur Octobri mense Sociorum lecta manus, qui statim ad docendum aggressi sunt.

Lauretanum.

Lauretani collegii fundandi occasio hæc fuit. Rodulfus Cardinalis Pius Carpensis, ædis Lauretanæ protector, cum minorem animadverteret in

eo templo Sacerdotum numerum, quam assiduus advenarum concursus postularet, de collocanda in eo Societate cogitavit; ac mentem suam Pontifici aperuit, quo impetrante, Socii quatuordecim Lauretum venere. Numerus hic postmodum auctus est ad viginti, imo ad quadraginta, provisumque ut ex omni natione legerentur Sacerdotes Societatis, qui gentibus omnibus, ex orbe universo ad sacram Ædem confluentibus, præsto essent. Pars domus Pontificiæ in ipsa urbe Laureto Patribus attributa fuit, et ad usus nostros concinnata. Quoniam porro Lauretanum cœlum per æstivos calores gravius est, domicilium Recineti, ubi aura salubrior, ejusdem Cardinalis Carpensis liberalitas assignavit, ut illic per æstatem, cum haud ita frequens ad sacra Deiparæ tecta peregrinorum accessus est, modo hi, modo illi e nostris se conferrent. Laureto progressi sæpe Patres Anconam, Maceratam, Asculum, Firmum, Sanctum Severinum, Sanctum Genesium et alia Picentium loca subinde excoluerunt. Dum Laureti Divinum opus urgetur sedulo, et animis peregrinorum curandis insistitur, malus dæmon collegii tranquillitatem turbavit. Spectandum se nonnullis offerebat modo nigri Æthiopis deformi specie, modo in *Angelum lucis* transformatus; nocturnis fragoribus miscebat omnia, et animalium incondito murmure perstrepebat. Sæpe stragula cubilibus detrahebat; orantes variis territabat ludibriis,

ostia fenestrasque pulsabat, recludebat, aut perfringebat. Monitus Ignatius, et Deum enixe precatus, scripsit ad Socios, et brevi liberandos ea molestia promisit. Recitatis in Patrum consessu ejus litteris silentium dæmonibus impositum est, fugata in perpetuum spectra, et sua collegio quies reddita.

Collegium Conchense, Conchense collegium Exercitia Spiritualia pepererunt. Ea postquam degustavit Petrus Puteus, e Canonicorum hujus urbis cœtu, non modo præposteram de Societate opinionem, quam animo præceperat, abjecit; sed etiam ædes, quas ipse sibi una cum hortulis exstruxerat, gymnasio constituendo concessit. Ad Tridentinum concilium Granatense, referri jure potest occasio ponendi Granatensis collegii. Societatem ibi perspexerat Petrus Guerrerus, Granatensis Archiepiscopus, multumque probaverat. Quo libentius Socios invitavit suam in urbem, eosque convocatis totius cleri primoribus enixe commendatos esse voluit. Iisdem cum angusta res domi esset, prospexit tam prolixa benignitate, ut præcepto obedientiæ imposito, ab se peti quidquid foret necessarium jusserit. In civitate Granatensi regio quædam est, cui nomen Albaizin, septentrioni obversa, in loco urbis editiore. Hæc Mauris, qui manere in Hispania, et Christi legem profiteri vellent, addicta olim fuit a regibus Catholicis, ibique parum edocti de lege Christiana magno numero degebant. Societatis

curas expetierunt, eique sedem in ea parte urbis dederunt *. Inventæ postea sunt matronæ duæ, (* anno 1559.) quæ virginibus Mauricis laborem, Societatis exemplo, gratuitum impendere studuerunt.

(Madritense, * anno 1560.) Madritensi collegio dedit initium * Eleonora Mascarenia, pro sua singulari benevolentia in Societatem. Excepit Patres, domum coëmit, quæ paulatim in magnam, uti est hodie, molem crevit. (Hispalense, etc.) Hispalense ut surgeret, non parum adjuverunt perversi perditique homines, qui serenda dogmatum pravitate integritatem orthodoxæ religionis sollicitabant. Hispani nonnulli Cæsarem in Germaniam secuti, virus inde Lutheranum in patriam retulerant. Hispalim præ ceteris ea pestis inquinabat. Circumferebantur pestilentes libri, et incautis obtrudebantur. Quin, concionatores venenatas escas admiscere salubribus, et arte multa conditas apponere populo non dubitabant. Id in uno ex illis insigniter patuit *, qui, post factam probi- (* *Constantino Pontio, Hispalensi Canonico.*) tatis et conscientiæ jacturam, *naufragaverat in Fide*, ut Apostolus loquitur. Conciones habere solitus, audiente Cæsare, et propter facundiam non vulgarem, aures apertas multorum nactus ac mentes, illis toxicum infundebat. Convictus, et in vincula conjectus, mortem ignominiosam voluntaria nece antevertit, suus ipse carnifex. Complures ex eo grege scelerato deprehensi vix dederant pœnas, cum alii ex aliis ultro se aperiebant, ac supplicium læti deposcere videbantur, plusque

insanienti lætitia et pertinacia, quam errore ipso nocebant. Angebatur Borgia graviter tanto clarissimæ civitatis periculo; et ardebat falsis ac impiis doctoribus veros Evangelii præcones substituere, constituta Societatis domo. Igitur, eo duce, et comite, nostri venerunt Hispalim, et a Vicario Generali (nam Archiepiscopus aberat) Cervante Salazario, qui postea Tarraconensis Archiepiscopus et Cardinalis fuit, accepti perhumaniter, ita illum obeundis Societatis ministeriis devinxerunt, ut plane retinendos Hispali censuerit. Idem omnis civitas peroptabat; suamque ipsis domum habitandam primarius civis dedit. Visa est Borgiæ, qui cum recenti manipulo Sociorum advenerat, palatio similior, quam religiosorum domicilio : alteram prætulit male materiatam, et ruinosam. Delectabat Beatum virum paupertas Evangelica, et ejus pietati miris sæpe modis Deus favebat. Nam in iis ipsis domunculæ Hispalensis angustiis, cum aliquando nihil esset in penu ciborum, nihil nummorum in loculis, eademque luce supervenissent hospites, jussit dari signum ad mensam. Convenere vacuum in triclinium Patres, et adstitit ignotus ad januam puer, corbem onustam cibariis ferens, e quibus etiam superfuit, unde pauperes alerentur. Idem Vallisoleti ac Septimancæ contigisse narrant. His Providentiæ cœlestis illustribus argumentis Borgia suorum spem erigebat, affirmans nihil ipsis, si divinæ studerent gloriæ, ad

Pauperibus Deus victum suppeditat.

animi vel corporis commoda defuturum. Quid, quod ærumnas ac difficultates, quæ negotiis inchoandis intercurrebant, certa successus futuri pignora interpretabatur? Nec illum ea spes et conjectura Hispali fefellit. Sociis, nulla in re civitas pia liberalisque defuit; Collegium publico sumptu exstruxit anno MDLXXXVII. Domum Professorum subinde condidit; et alia Societatis domicilia, quæ sex in ea modo numerantur.

Sub idem tempus circa Bætis ostia in oppidum, cui Sanlucar de Barrameda vernaculum est nomen, (olim Fanum Luciferi vocabatur), vocata Societas est a Ducibus Medinæ Sidoniæ, et Comite Nieblæ. Opportunitas urbis visa minime contemnenda, cujus in portum appelli solent classes e solis occidentis orbe novo reversæ, et unde in omnem oceanum emittuntur. Auctis hunc in modum domiciliis, qua parte Hispania in Austrum vergit, nova Bæticæ provincia, duabus jam constitutis *, Castellanæ et Aragonensi est adjuncta. Franciscus vero Borgia Hispaniæ ac Lusitaniæ Commissarius est appellatus.

Provincia Bæticæ.

* *anno* 1552.

Bibonense, in Sicilia, collegium peperit Isabella Vega, proregis filia, et ducis Bibonensis uxor. Ejus frater Syracusarum Præfectus initium dedit Syracusano, et anno sequente perfecit. Hæc autem domicilia velut sponte in lucem edita fuerunt. In Belgicis plus sudoris, quia plus periculi, et metus.

Tornacensis Domus initia.

Ignatius Tornacum destinarat Societatis theologum P. Quintinum Charlart, cum socio Antonio Boucletto, ut patriæ laboranti succurrerent. Eorum conatibus, Deo favente, profectum est usque eo, ut magna brevi compositio morum in civibus, magna hæreticorum ad veritatem catholicam conversio secuta sit. Nec se intra urbis continebant mœnia, sed vicina in oppida progressi animarum commoda strenue procurabant. Alii subinde ad eos accesserunt, qui tamquam hospites et advenæ manserunt Tornaci ad annum usque MDLXI, quo hæreticorum furor apertius per totam regionem debacchatus, civibus persuasit, ut propriam ac certam Sociis habitationem sine ulla cunctatione concederent, laboranti catholicæ rei decus ac præsidium contra ejus hostes, qui cum viderent florere litteras in Belgio, id studebant unum, ut academias contaminarent.

Iidem hostes tota Germania grassabantur sparsis maxime in vulgus libellis, in quibus illigarant doctrinam exitialem, quam cum præsens doctor nullus refutaret, facillime in rudes animas influebat. Nec tantum populo hac arte virus instillabatur; verum etiam eruditis et prudentibus. Quæsivere malo remedium Patres, instante Ferdinando, et gravissimum, pro sua prudentia, periculum prospiciente. Omnibus circumspectis, nihil visum est fieri posse consultius, quam ut Christianæ doctrinæ Epitome conscriberetur, ita

certa, nihil ut dubitationis relinqueret, ita clara, ut eam tardissimus quisque caperet, ita demum brevis, ut legentes non oneraret. Data Canisio conscribendi libelli provincia, a quo statim editus, et unanimi deinde catholicorum consensu probatus est. In omnes fere conversus linguas, amplius quadringenties typographico subjectus prelo fuit. Eundem Philippus II Hispaniæ rex in suis omnibus regnis unum, ad explicandam juventuti catholicam doctrinam adhiberi jussit, theologorum quos consuluerat, ac præsertim Lovaniensium, auctoritate ductus, qui ore uno responderant, nullum eo reperiri utiliorem, tum ad illustrandas mentes veritate doctrinæ, tum ad voluntates suavi solidaque pietate imbuendas. Eo perlecto, plerique præstigias et fucum hæreseos detexerunt, affirmabatque Wolfangus Wilhelmus, dux Neoburgensis, neminem qui semel hunc legisset, hæreticum esse quemquam usquam posse. Ita expertus ipse testabatur. Prodierat initio contractior hic libellus, indicatis dumtaxat in margine locis sacrarum paginarum, ac SS. Patrum testimoniis, quibus catholicum dogma confirmabatur. Sed iis postea copiose appositis, opus in magnam excrevit molem, et proborum omnium atque eruditorum laudibus ornatum est. Nec minus commendationis illi accessit ab hæreticorum conviciis et satyris, quibus haud obscure declarant, quam mortiferum et insanabile ab eo vulnus acceperint.

Catechismus Canisii.

Fuerat in gratiam Abyssinorum conscripta similiter a Patribus Epitome catholicæ doctrinæ; at semen bonum *cecidit inter spinas*, et non retulit fructum. Jam autem tempus est ingentem illum Societati campum aperire, et in Africam interiorem, cujus oras aliquot ac littera jam occupabat, penetrare.

Æthiopia Societati aperta.

Æthiopia proprie dicta, sive superior ab Ægypti limite porrigitur longe, secundum littus Australe sinus Erythræi, et inde in Africam interiorem, circa fontes Nili, funditur. Abyssini vulgo appellantur ejus incolæ. Christi legem ab eunucho reginæ Candacis, quem in actis Apostolorum a Philippo diacono baptizatum legimus, se accepisse gloriantur. Inde una cum Cophtis, sive Ægyptiis, in Eutychetis ac Dioscori hæreses prolapsi, ab Alexandrino patriarcha suo Antistites sumpserunt. Regnatum est in Æthiopia ab anno MDXL ad MDCL a septem Imperatoribus. Asnof Segnedus, sive Claudius, regnum capessivit anno MDXL post patrem suum Onac Segnedum, seu Davidem. Claudio successit Adamas Segnedus anno MDLIX. Huic Malac-Segnedus anno MDLXIII; quem excepit anno MDXCV Jacobus, Malac-Segnedi nothus. Hunc Zandaguil MDCIII secutus est. Zandanguilem Seltan-Segnedus Socinius, anno MDCVII. Huic denique suffectus est anno MDCXXXII Seltan-Segnedus secundus, dictus aliter Faciladas, seu Basilides. Post celebratum Florentiæ concilium OEcumeni-

cum, in quo Græci, Armenii, Jacobitæ aliique Orientis erroribus imbuti, eos abjecerunt, ac Romanum Pontificem Christi Vicarium agnoverunt, Doctorem Christianorum et caput unicum. David*, Abassinorum imperator, oblatum ab adulterino Alexandriæ præsule, Patriarcham repudiavit, et missis ad Clementem VII legatis, debitam Romanæ Sedi venerationem et obsequium detulit. Ejus filius et successor*, pristinum religionis splendorem exolevisse, vehementer dolens, et cognita Lusitanorum pietate ac fortitudine, scripsit ad Joannem III Lusitaniæ regem, ut a Romano Pontifice legitimam, recteque sentientem Patriarcham, quo Abassini regerentur, impetraret.

* *Alio nomine Onac Segnedus, regnavit ab an.* 1507; *ad an.* 1540.

* *Asnof, seu Claudius regnavit* 18 *annis.*

Rex ejusmodi litteris et amplificandæ Fidei spe incensus, Patres aliquot ab S. Ignatio jam inde ab anno MDXLVI petierat. Ignatius haud minori studio religionis propagandæ flagrans, negotium incredibili ardore arripuit. Nihil tamen perfici potuit ante annum MDLIV, quo Ignatius tres virtutis expertæ viros Regi nominavit: Joannem Nunnium Barrettum, et Melchiorem Carnerium, Lusitanos; Andream Oviedum, Castellanum; quorum uni munus Patriarchæ mandaretur, alii ejus essent adjutores, ac si quando res ferret, successores. Creatus est, de regis et Ignatii sententia Patriarcha Nunnius; Carnerius vero et Oviedus, Episcopi; hic Hierapolitanus, ille, Nicænus. Diu versatus in Africa Nunnius fuerat, operamque perutilem

P. J. Nunnius Barrettus Patriarcha Æthiophiæ.

ibi navaverat, captivis redimendis et revocandis ad Fidem desertoribus Christianæ religionis. Inde Olisipponem proxime accesserat, pecuniam ut conquireret ad captivos redimendos. Ubi se Patriarcham Æthiopiæ designatum audivit, continuo scripsit Romam, splendidum detrectans munus : non deprecari sese labores et ærumnas Æthiopicæ missionis, verum adduci non posse, ut honorem delatum acciperet; malle in ergastulis Africanis emori, vinctum pro Christo, quam redimitum tiara ubilibet vivere. Orabat Ignatium per Christi vulnera, ut imbecillitati suæ onus impar ne imponeret; aut, si staret sententia, præceptum adderet, sua obsignatum manu, ut obedientiæ merito et auctoritate fretus, ponderi tam periculoso et molesto humeros supponeret. Carnerius Romæ tunc versabatur. Eodem fuerat accitus Neapoli Oviedus. Uterque splendore dignitatis perstrictus, horruit; nec dubitavit causam suam, audiente ipso Pontifice, perorare. Laudavit Ignatius modestiam, et quod cogendi essent, iis ac sibi gratulatus est. Docuit illos tamen, honoris ejusmodi non aliam esse mercedem, aliosque proventus, quam assiduas cruces, opprobria, inopiam, incommoda, et, uti spes erat, necem. Hac spe, hac mercede proposita, durum onus haud inviti subierunt. Discedentibus Beatus Pater decem e nostris, homines lectissimos, addidit comites. Præterea Gaspari Barzæo, Goani tunc collegii Rectori, pro-

vinciam dedit, ut toti negotio quasi præfectus, excubaret, seque de omnibus faceret certiorem. Quod ut majori faceret auctoritate, Commissarii Apostolici nomine ornandum curavit. Libenter ipse Sociis ad tanti ponderis expeditionem, ducem se præbuisset : quod licuit, epistolam gravissimam et plenam Evangelicæ doctrinæ, ad Imperatorem Æthiopiæ scripsit, in qua rationem illi novæ missionis reddit, eumque ad Fidei catholicæ constantiam adhortatur *.

* *Exstat in Hist. Soc. J. Part. I. Lib. XV. n.º* 105.

Dum hæc in Europa fiunt, Petrus Mascarenia, Indiæ Prorex faciendum censuit, ut in Æthiopiam præirent qui explorarent animum Imperatoris, et adventum Patriarchæ comitumque nunciarent : tum ne quid perperam susciperetur; tum etiam quod inurbanum habetur apud Æthiopas et nefarium, si legatus Principis ad eos accedat silentio, neque antea de suo adventu significet. Mandatur legatio Jacobo Diozio, eique P. Consalvus Rodericius adjungitur cum Socio. In Æthiopiam pervenerunt anno MDLV Calendis Junii. Ad colloquium Imperatoris admissi, eum vel improborum suasu, vel ingenii mobilitate mutatum reperiunt. Pauca perplexe atque anxie locutus, ad Lusitaniæ Regem scripsit nulla se ratione posse, aut Societatis Patres in suum regnum accipere, aut Romani Pontificis auctoritate parere. Hæc ubi P. Consalvus audivit, omnesque ad Principem aditus sibi vidit obstructos, accinxit se ad reditum. Antea tamen

summam quandam catholicæ veritatis conscripsit, idoneam refutandis Abassinorum erroribus, librumque ad Imperatorem detulit. Quem ille cum inspexisset, indignabundus ait, falso Æthiopibus errores illos adscribi; et Abuna (sic sacrorum antistitem suum Abyssini vocant) gravi anathemate cavit, ne quis librum illum attingeret. Dissentiebant monachi et summis laudibus extollebant libellum, in quo gentis errores perspicue refutari contendebant. Rex, dissidium partium, et tumultum fugiens, supprimendum curavit; ac veniam abeundi P. Consalvo petenti dedit. Oratus ab eo Imperator, ut missis ambagibus, renunciaret, quid referri placeret Goam? respondit, quod ad Patrum accessum pertineret, se illos excepturum; et iis coram auditis, se, quid opus facto foret, deliberaturum.

Interim Olisippone profectus Patriarcha cum
* *anno* 1556. Sociis, et in Indiam delatus * cognovit e Consalvo mutatam rerum faciem, difficiles in Æthiopiam aditus; et Imperatoris animum a recipienda legatione abhorrentem. Visum est, ne quid temere committeretur, P. Andream Oviedum cum Sociis aliquot, eo præmittere, qui viam Patriarchæ muniret. Adventantes excepit Imperator perbenigne, ut promiserat, quippe liberali et commoda præditus indole, idem acri solertique ingenio; at animo in erroribus ac Dioscori deliriis obfirmato, ut continuo patuit, cum rogatus ut convocari

theologos suos et disputare pateretur, interfuit, neque tantum testis locum, sed doctoris etiam ac pene pugilis partes sustinuit. Eruditos cœtus solvit Turcarum irruptio, qui oram maritimam fœde populati, omnia metu cladibusque compleverunt. Cum iis Imperator temere congressus, fusus et contrucidatus, justas ultori Deo pertinaciæ pœnas dedit *. Hæc non uno, ut patet, gesta sunt anno : quinque simul junximus, ne orationem incideremus : et illi quinque fluxerunt ærumnosi certe, at saltem incruenti : non item annus MDLIV in Brasilia, quæ tunc primum sanguine religioso barbaras manus infecit. * *anno* 1559.

Petrus Correa et Joannes Sosa missi fuerant ad Carigios. Eorum fines ingressi, blando sermone ita barbaros demulserunt, ut Hispanos aliquot ac Brasilos feralibus destinatos mensis, salvos incolumesque receperint. Erat inter illos Hispanos unus, meretriciis amoribus implicatus : cui pellicem de sinu cum abstraxisset Sosa, Patris charitatem iniquissimo animo tulit infelix, eumque accusare apud Carigios, tamquam proditorem et populi certissimum hostem, non cessavit. Veteratoris improbi astutiâ sic efferati sunt, ut innocentissimos hospites e medio tollere statuerint. Ergo utrumque ex insidiis adorti, sagittis crudeliter obruunt : geminam veritatis ac pudicitiæ victimam. Petrus Correa, Lusitanus genere clarus, militiam initio sequebatur, et stipendia

Petrus Correa et Joan. Sosa, a Carigiis interfecti;

facturus in Brasiliam navigaverat, priusquam eo Societatis homines essent appulsi. Ac primo quidem in barbarorum casas irrumpens, cum expedita militum vi raptos abducebat in servitutem, ut operam ponerent in sacchari officinis; ex qua negotiatione rem augebat ipse suam, et saluti miserorum, ut rebatur, consulebat, qui servitutis beneficio, ad Christi cognitionem perveniebant. Melius doctus mutavit mentem, et Societatis institutum suscepit primus in Brasilia, anno MDXLIX, totum se in Brasilorum saluti et obsequio devovit, in eoque annos quinque singulari charitate et patientia laboravit. Joannes Sosa, pariter Lusitanus, sub ipsum ejus in Brasiliam accessum Societati se addixerat; vir indolis candidissimæ ac morum, in sæculi etiam pravitate, integerrimorum. Ternos hebdomadæ cujusque dies jejuniis exigebat : peccantes coram arguere non verebatur, licet impiorum risu minisque durius acciperetur. Eamdem vitæ integritatem tenuit in Societate, et rei domesticæ ministeriis addictus illustria pœnitentiæ, pietatis ac patientiæ documenta dedit, quibus ultimam felici morte manum ac lauream imposuit.

Annus Christi 1555 : Societatis 16.

P. Fernandes a Lusitanis.

Evangelii præcones a barbaris ita tractatos nihil mirum. At in Europa, in ipso humanitatis et pietatis quasi sinu, eamdem erga ipsos crudelitatem alicubi adhibitam fuisse, quis non merito mi-

retur, et doleat? P. Emmanuelis Fernandis splendidæ conciones ac plenæ Divini cujusdam ardoris, illi tantum improborum odium conflaverant, ut de perdendo concionatore conjuraverint. Ergo parant sicarios, qui redeuntem Eboram excipiant. Irruunt ex improviso, dejiciunt, ac proculcant; tum explicata necis causa, nempe quod nefario amatori pellicem eripuisset, expediunt sacculos arena fartos, quibus illi pectus et caput obterunt, comminuuntque. Restabat adhuc animam agenti languida vox, ea percussores hortatur ad pœnitentiam, veniam sceleris in se commissi offert, invitat, obtestaturque. Permovit unum ex illis tantæ charitatis admiratio; abjicit se humi ad morientis pedes, confitetur scelus, et venia prolixe donatus, allevat seminecem, atque in collegium deportat Eborense, ubi paucis post diebus interiit, nullo de sicariis indicio ac ne suspicione quidem facta. Unus ille, qui vitam ipsi et eripuerat, et debebat, crimen suum ac Patris beneficium aperuit. Tingitanus erat, in Societatem adscriptus anno MDXLII. Primus e Societate regionem Transtaganam excoluit, corrogata stipe victitans; oppida pagosque concursans pedes, et ea flagitia exscindens, quæ celeberrimorum concionatorum labor evellere nequiverat. Permagni fiebat a Bartholomæo de Martyribus Archiepiscopo Bracarensi; nec non a Ludovico Granatensi, Dominicanæ familiæ clarissimis luminibus, et veræ virtutis æstimatoribus peritissimis.

De illius concionibus id prædicabat non inconcinne vir gravis ac doctus : Cum alios concionatores vel celeberrimos audio, inquiebat ille, vehementer mihi placent, cum P. Fernandem, mihi vehementer ipse displiceo. Obiit Fernandes anno MDLV, qui Julii III supremus; et Marcelli II, ac paulo post Pauli IV primus fuit.

Pontificum benignitas.

Marcellus spectatam in Concilio Tridentino Societatem singulari benevolentia complectebatur; ex eaque duos ab Ignatio theologos petierat, quos apud se haberet. Lainius et Olavius a B. Patre delecti, locum hunc et munus obire nequiverunt, ob immaturam Marcelli mortem, qui altero ac vigesimo Pontificatus sui die decessit.

Sublectus in ejus locum Paulus IV, ne perinde Societati non faveret, metuebatur : tum quod assensus pridem illi non fuerat Ignatius optanti, ut suus Theatinorum Ordo in eamdem cum Societate familiam corpusque coalesceret; tum quod nuper ejus, nondum Pontificis creati, cum esset adhuc Archiepiscopus Neapolitanus, decretum in causa tironis cujusdam, Julius III Ignatii rogatu resciderat. Nostrorum metum abstersit Paulus IV singulari quam statim Ignatio significavit benevolentia, vel potius alium incussit metum, ne nimis Societati faveret. Quippe rubrum Lainio galerum imponere meditans, certiores de suo consilio purpuratos Patres frequenti consessu fecit, ac rem sibi omnino deliberatam et constitutam

ipsi Præposito Societatis ita indicavit, ut hic pene desperans Pontificem a sententia deduci unquam posse, ita cum suis locutus fuerit : *Brevi, nisi nos Deus respiciat, Lainium Cardinalem habebimus; sed quæ illius virtus est, ita sese opinor geret, ut omnes intelligant, quam longe absit Societas ab Ecclesiasticis dignitatibus ambiendis.* Ignatium Lainius non fefellit; qui simul atque consilium Pontificis ac suum periculum rescivit, superos omnes, junctis cum Ignatio precibus, obsecrare non contentus; cœpit circumire notos Cardinales novo ambitus genere, ac prensare, obtestans ne rem ad exitum duci paterentur. Cognita Lainii sollicitudine non destitit incœpto Pontifex : sed ut illum paulatim honori et aulæ assuefaceret, evocavit in Vaticanum, per causam emendandi nonnulla, quæ spectabant ad Datariam. Vix diem unum in Vaticano moratus, retulit se domum Professorum, causatus, sibi necesse esse complures libros inspicere, tum consulere viros eruditos, et in Datariæ negotiis versatos; re autem ipsa, ut suffugeret oculos curiæ, et in optimi parentis sinum, tamquam in portum, se reciperet. Quo etiam annuente, testatum Societati voluit, in conscripta scheda et suo nomine obsignata, quantum ab honore destinato abhorreret. Hæc omnia Paulo IV renunciata, et notus Ignatii, ejusque alumnorum in similibus causis animus, spem omnem rei conficiendæ Pontifici ademerunt;

itaque id urgere destitit, quod sine summo Ignatii et Lainii dolore assequi se posse diffidebat. Uterque ingentes superis gratias egit; ac fusæ ob eam rem ab universa Societate preces. B. Pater ad Pontificis pedes ore læto provolutus, beneficium ab eo longe maximum sibi ac suis datum esse professus est. Hinc mentem Ignatii, et Institutum Paulus IV clarius perspexit, ac Ferdinandum postulantem præsules e Societate, semel iterumque admonuit, ne in spem irritam tempus et epistolas frustra consumeret. Quamvis autem Paulus IV de sanctitate et prudentia Ignatii præclare antea semper existimasset; exinde tamen multo pluris illum fecit, adeo ut gravissima negotia ejus consiliis, arbitrioque permitteret, dictitaretque Cardinalis Augustanus, nequaquam se dubitaturum, si quid impetratum vellet a Pontifice, Ignatium sequestrum ac deprecatorem adhibere.

Quantum augebatur B. Patris auctoritas, et præclara de illius sanctitate opinio; tantum vires corporis et valetudo minuebantur. Rogatus a suis, ut oneris et curæ partem in quempiam derivare vellet; sacrificia et preces in triduum indixit, monens ut eum indicarent, qui maxime idoneus huic muneri videretur. P. Natalem designarunt ore uno. Eorum sententiam comprobavit; sed postea duos ei adjutores addidit, Polancum et Madridium : ipse gravioribus curis non penitus omissis, ægrotantium domi curam sibi præcipue reservavit.

Admittitur Societas in Belgio.

Inter graviores illas curas, quæ virum sanctum habebant sollicitum, et valetudinem ejus debilitabant, primum facile obtinebant locum res Belgicæ et Germanicæ, ubi Religio summum in discrimen adducta erat. Missus ab eo in Belgium Petrus Ribadeneira Philippum, Regem catholicum, Antverpiæ convenit; cui cum Ignatii litteras reddidisset, exposuit, quibus maxime de causis profutura Belgio Societas videretur. Rex benigne respondit, et libellum supplicem oblatum a Ribadeneira expendendum Viglio Zuichemo, consilii regalis Præsidi, tradidit. Episcopi, pastoresque alii, ac nonnulli cœnobitæ, sive falsa imbuti opinione, sive quod detractum in nonnihil suis commodis accessu Societatis suspicarentur; in primis vero hæretici acriter obsistebant. Rumores, ad conflandam invidiam idonei, disseminabantur: calumniæ, quamvis pridem refutatæ extinctæque, suscitabantur. Viglius ipse adversabatur palam, et Ribadeneiræ, quidquid opponeret solventi ac refellenti, nescio quos timores objectabat. Eam ob rem ita in Belgium Societas admissa fuit, ut aditus illi pene intercluderetur, adjectis conditionibus permolestis. Sed eas Philippus considerata veritate anno MDLXXXIV sustulit. Ut obtineretur interea liber ac patens in Provinciam florentissimam aditus, potissimum effecit Maria, Imperatoris Caroli filia; et Dux Feriæ, præsidii regii Antverpiæ Præfectus, Societatis perstudiosus. Itaque jacta sunt

in variis Belgii urbibus collegiorum fundamenta, præsertim Lovanii, ubi anno MDLXV domicilium de quo diu certatum fuerat a Patribus, Senatus addixit, omni conditione sublata.

Hist. Soc. J. P. III. Lib. I. n.º 87.

Annus Christi 1556 : Societatis 17.

Collegium et convictus Pragæ, et

Etsi Joannis Hussi, a quo hæresim Bohemi hausere, nomen ac fama multum exoleverat, nihilominus veterem a Romana Ecclesia secessionem plerique in Bohemia retinebant, nec ab errore prisco facile divellebantur. Missus Pragam a Ferdinando Canisius, eos nativa comitate demulsit, et odium ac metum collegii, qui sub initium trepidos perculerat, lenivit. Illud Socii duodecim, a B. Patre lecti, et Pragam ingressi XI Cal. Maias, auspicati sunt. Constructum quoque fuit contubernium convictorum : favente felicibus incrementis archiduce Ferdinando, Ferdinandi Romanorum Regis filio, qui Bohemiam pro patre administrabat. Magna fuit Collegii Pragensis tota Germania celebritas, adeo ut non dubitarent Hussitæ suos nobis liberos tradere in disciplinam. Id modo nos rogabant, uti cum illis sermonem de religione non misceremus. Qua de re cum Polancus sanctissimum Pontificem Pium V consuluisset, respondit ille, nostram hanc esse linguam : significans, nostrum esse, ut animo, sic ore et sermonibus catholicam fidem libere tutari ac propagare. Quæ vox nunciata Pragam, hæreticos non deterruit,

quin suis liberis scholas nostras implere pergerent; freti Sociorum prudentia et fide, qui palam profitebantur se litteras et pietatem in scholis docere, non controversas de religione catholica quæstiones agitare. Tum ita ferebat fama : plus apud Jesuitas trimestri spatio, quam apud Hussitas biennio profici. Anno MDLXXV Gregorius XIII idoneos proventus assignavit, quibus certus in collegio Pragensi numerus convictorum aleretur, qui eam ob rem Pontificii sunt appellati. Per idem tempus contentione summa provisum a nostris fuit in Bohemiæ comitiis, ne Lutherani extorquerent docendi, ac suam hæresim profitendi facultatem in Bohemia; cujus decretis cautum est, ne locus in eo regno sit, præterquam Catholicis et Hussitis.

Antequam Ferdinandus Pragense collegium fundaret, Albertus, Bavariæ dux, inierat consilia de Ingolstadiensi excitando, ejusque descriptionem et veluti ichnographiam, a P. Canisio, Monachium evocato, confici anno MDLV jusserat. Nec distulit Ignatius octodecim Socios sexto Idus Junias hujus anni submittere; qui statim atque Ingolstadium attigerunt, in collegium, quod vetus vulgo appellabatur (erat id academiæ publicæ pars) inducti sunt, et Calendis Septembribus curriculum inierunt. Singulos in Academiæ corpus, dicto solemni sacramento, cooptari Princeps voluit : scholas idem auxit anno MDLXXI, et quinquennio post addidit gymnasio contubernium seu

Ingolstadii.

convictum Albertinum a fundatoris nomine appellatum, et S. Ignatio Martyri dedicatum. Fuerat initio destinatum alumnis dumtaxat educandis, postea convictores alios, qui suis sumptibus alerentur, accepit, et lecto subinde nobilium adolescentum numero florere perrexit. Fundaverat in eadem urbe seminarium, S. Hieronymi dictum, Quirinus Leoninus, Ecclesiæ cathedralis Ratisbonensis Præpositus et Vicarius Generalis. Sed cum illud perperam administrari cerneret, ejusdem alumnos in convictum S. Ignatii transtulit; mox ipse Societatem est ingressus. Guillelmus Alberti filius, collegium de integro insigni magnificentia condidit, fundavitque anno MDLXXXIV.

Collegium Coloniense.

Quemadmodum Ingolstadiensi Collegio initium dedere præclari labores Salmeronis, Jaii et Canisii : sic ex ejusdem Canisii, Fabri et Kesselii spectata pietate ac doctrina Coloniense natum est. Habitatum a Sociis fuerat usque ad annum MDLVI in conductitiis ædibus; necdum susceperant publice docendi munus. Id vero cum illis imponere Senatus populusque percuperet, collegium Trium Coronarum, (sic a tribus coronis, quæ Coloniæ insignia sunt, appellatum) Societati tradiderunt, amoto ejus moderatore, quem Lutherana peste infectum agnoverant. Aucto Collegiorum numero instituta est nova Provincia, Germaniæ Superioris dicta, eique gubernandæ P. Petrus Canisius fuit præpositus.

Germaniæ Superioris Provincia.

Non tantæ molis et splendoris, at utilitatis non minoris gymnasium quoddam, sive Seminarium Catechumenorum est ædificatum Goæ. Sic enim accidebat, ob eorum qui nomen Christo dabant multitudinem, et quamdam Sacerdotum in tanto numero festinationem : ut qui salutaribus imbuebantur aquis, in avitas superstitiones, et vitia facile relaberentur, magno Christianæ legis probro. Huic incommodo ut obviam irent Goani Patres, domum designarunt, ubi religionis Christianæ candidati Christum probe perdiscerent, et ad sacrum fontem pararentur. Similis domus constituta feminis erudiendis, et piæ matronæ commissa. Quia Japones Indis præstant diligentia, industria, et in gerendis rebus constantia, idcirco minus indigebant ejusmodi Seminariis. Verum quia domesticis seditionibus persæpe agitabantur; eam ob rem gravioribus apud eos periculis religio laborabat. Sic domicilium Societatis, quod erat Amangucii amissum est in tumultu populari, qui urbem pulcherrimam prope omnem delevit. In ea jam numerabantur Christianorum tria fere millia; cum exorta duos inter proceres simultas in apertam seditionem, et civile bellum erupit. Hinc atque inde ipsorum clientes arma corripiunt; urbs tota, duas in factiones divisa, dato signo concurrit : totidem in singulis vicis ac plateis prælia; homines ferro, domus igne pereunt. Rex mutata veste, vix in arcem se receperat, cum ejus hostis

Providetur Catechumenis Goæ.

Amangucii orta seditio.

Morindonus, Sacaio accurrens, urbem dissidiis occupatam et incendio prope sepultam, invadit. Ivit obviam Rex collecto raptim milite, at in acie confossus cecidit : civitatis reliquiæ, quibus flammæ ferrumque pepercerant, direptæ, trucidatæ, in servitutem abreptæ. Domus Societatis cum templo Bonziis data. Turrianum Christiani summoverant exitio, et Funaium petere coëgerant, apud regem Bungi : qui ut fratrem suum, Amangucii regem, cæsum ulcisceretur, Funaio statim egressus omnibus copiis Morindonum petiit. Ille imparem se sentiens, pacem et veniam, aliquot provinciarum damno redemit, ac præcipue regni Chicugensis; eoque fœdere Bungi Rex quinque jam regnorum potens, vicinis et rebellibus terrori, Christianis ingenti præsidio fuit. Pace hunc in modum restituta, rex Amangucii cujus Pater in acie perierat, itemque Reges Bungi et Firandi litteras ad Proregem Indiæ de religionis progressu, et suo in Societatis Patres studio dederunt. Prorex respondit, qua dignum erat humanitate, litterasque suas amplissimis muneribus ornavit.

Nunnii in Japoniam iter inutile.

Per eam occasionem P. Melchior Nunnius Barretus, Indicæ provinciæ præses, cum P. Gaspare Villela, et aliis quatuor Sacerdotii expertibus in Japoniam profectus est. Iter ingressus accipit ab Ignatio litteras, quibus significabat B. Pater, non placere, ut Provinciales longinqua itinera extra commissam sibi provinciam susciperent.

Cum nihilominus a Japoniæ Regulis invitatus, et Ignatii mentem interpretans, Japoniam iniisset, morbo reverti Goam coactus est : nullo difficilis operæ pretio, quia illud iter suo potius, quam obedientiæ ductu susceperat.

Infantibus et ægrotis consulitur, in Japonia;

Aliorum e nostris, qui degebant in eadem Japonia, labores e nutu Superiorum ac manu sumptos, Deus fortunabat. Morem inter ceteros barbarum antiquarunt : ita enim ferebat consuetudo, ut inops et misera plebs liberos in lucem editos, morte passim damnaret. Perfecerunt Socii, regia auctoritate interposita, ut innocentibus victimis temperarent parentes, an parricidæ potius? Infantes manibus impiis erepti, et nutricibus Christianis traditi sunt, a quibus cum lacte vitam, et Christum haurirent. Extructum præterea publicum valetudinarium, hortatu Patrum; at regis sumptu. Ille magnam pecuniæ vim ipsis obtulerat. Gratias egere amplissimas, professi, se inopia sua contentos esse; rogantesque, ut pecuniam hanc ad sublevandam populi calamitatem impenderet, qui morbis misere conficiebatur, nullo privato subsidio vel publico. Annuit rex : obstupuit Japonia; nullum fecit finem laudandæ charitatis. Et opem adesse Divinam apparebat, morbis gravissimis, quæ medendi facultatem usitatam superabant, subito persanatis; idque nullo sæpe, aut perlevi remedio : interdum aqua consecrata, sanctorumve sacris cineribus. Regem hæc prodigia impulerunt,

ut domum Societatis ac templum poneret Facatæ, primaria civitate Chicugensis regni, quo nuper illum potitum fuisse duximus.

Thomæis in India.

Cocini degebat, in ora Malabarica Melchior Carnerius, cum audivit Armenium quemdam Episcopum spargere inter Thomæos exitialem doctrinam : prædicare palam, confessionem peccatorum supervacaneam et otiosam esse; tollere cultum sacrarum imaginum, et perniciosis aliis erroribus, quibus ipse tenebatur, ceteros implicare. Thomæi appellantur in Asiatica interiore peninsula, longe infra Goam, Christiani, qui se ab Apostolo Thoma Fidem accepisse gloriantur. Melchior ad eos confestim accurrit, utque radicem morbi cum morbo recideret, studuit Episcopum convenire, si forte posset privato ac leniore colloquio ad saniora consilia traduci. At ille, ut de Patris adventu cognovit, in intimam sese abdidit regionem, neque postea comparuit. Ita Carnerius, facultate congressus adempta, ne latius malum serperet efficere conatus est, et quod fuerat hæretica contagione vitiatum amputare.

Ingreditur Societas in Sinam.

Videbatur id unum esse reliquum ad coronandos labores quos S. Ignatius per sese, suosque carissimos filios, pro tuenda et amplificanda religione tamdiu exhauserat, ut cerneret ostium Societati apertum in Imperium Sinense, cujus amplitudinem Europæ toti parem esse narrant, quodque velut adamantinis obstructum vectibus,

princeps tenebrarum tenebat. Hoc Societatis conditori, antequam in cœlum migraret, divinitus concessum est. Sinense Imperium postremam ad meridiem et ortum partem continentis Asiæ occupat. Tartariâ clauditur a Septentrione : ab Oriente Coream peninsulam et Japoniam præ oculis habet; a meridie Oceanum; ab occasu, Tunchinum, Cocincinam, et alias Asiæ regiones spectat. Dividitur in quindecim provincias, sive majores præfecturas, et nongentas fere leucas ambitu suo colligit. Ejus antiquitatem, mores, religionem, fuse descripsimus ad calcem Lib. XIX P. 5.æ Hist. Soc.

Sinas aperuisse Societati S. Franciscus Xaverius dici merito potest. Statim enim post ejus obitum Lusitanis eo subire impune licuit, quo antea propius accedere, citra summum capitis discrimen, fas erat peregrino prorsus nemini; ut quem aditum ad imperium Sinense vivens tantopere Xaverius optaverit, eum impetrasse mortuus videatur. Post ejus obitum primus e Societate Sinam veluti de limine salutavit, et Quancheum caput provinciæ Quantoniæ, ingressus est anno MDLV P. Melchior Nunnius. In Japoniam tendens, et tempestate delatus in insulam Sancianum, unde in Sinicam continentem progressus, sermonem de religione injecit; sed cum publica potestas, esset nulla Evangelii promulgandi, satis habuit, post aliquot cum doctoribus indigenis velitationes, vadum quasi tentasse, et institutum in Japoniam

iter prosecutus est. Pretium tamen operæ factum ingens merito creditur, quod Europæus, quod peregrinus doctor, in urbe Sinensi visus, et auditus impune tandem esset. Istas velitationes justa quondam et magna prælia excipient.

Mortem obit S. Ignatius.

Tot rebus ad majorem Dei gloriam feliciter confectis, Societate, per totum pene terrarum orbem propagata, compositis ejus legibus, B. Pater satis se vixisse ratus, ad Creatoris sui complexum, et beatæ vitæ requiem toto pectoris impetu votisque omnibus ferebatur. Tertio Idus Julias valetudine prætermodum fracta, summum instare diem sentiens, novissimis sacramentis ad supremum iter se comparavit, et tertio Calend. Sextiles sub vesperam arcessit Polancum, qui erat ipsi ab epistolis, et: *Actum est*, inquit; *excurre ad Pontificem, ei Societatem commenda, et ab illo benedictionem mihi atque indulgentiam delictorum postula. Nec mihi tantum sed etiam alteri e nostris benedictionem Apostolicam precare.* Duos scilicet e Patribus in ultimum discrimen morbus adduxerat, Lainium et Olavium: Illud de Lainio dictum fuisse credidit Polancus; de Olavio dictum eventus docuit.

At Polancum gravis incesserat sollicitudo. Nolebat videri præfestinasse, atque inani metu domum conturbare, si Pontificem statim adiret: tum medici bono animo esse nostros jubebant. Ex altera parte tam diserte affirmateque iterata

jussa formidinem incutiebant. Ergo rursum interrogat, num satis sit Pontificem adire postridie. Cui Ignatius, *Ut voles,* inquit; fortasse metuens, ne, si jubere pergeret, mortis sibi divinitus prænunciatæ suspicionem faceret. Polancus, cui scribendæ in Hispaniam instabant litteræ, hoc B. Patris responso acquiescens, atque adeo medicorum judicio, qui ad ægrotum, hoc ipso die sub vesperam, admissi omnia tuta esse confirmaverant, mandata Ignatii posterum in diem distulit.

Ægro assidebant præcipui quidam Patres, quibus etiam, antequam discederent multa jam nocte, interrogantibus de quodam Collegii Romani negotio, quid sentiret, significavit. Iis digressis, noctem reliquam solus exegit, inter dulcia et ardentia cum Deo colloquia; sic ut voces a proxime cubantibus exaudirentur. Ingressi mane, explorandi causa quemadmodum se haberet, inveniunt viribus destitutum, et animam pene exhalantem. Reliqui Patres trepide conveniunt. Polancus negligentiam suam incusans, evolat ad summum Pontificem, qui singulari benevolentiæ dolorisque sensu ingemuit, et large, quod petebatur, indulsit. Interim erant, qui revocandas ægroti vires censerent, languorem, ut fit, ac debilitatem rati. At Ignatius intermortua voce, nihil jam opus esse respondit, jungensque manus, oculis in cœlum leniter sublatis, ac dulcissimum Jesu nomen appellans placidissime expiravit, altera post ortum

solis hora, feria sexta pridie Calendas Augusti hoc anno Christi MDLVI; ætatis vero, quinto et sexagesimo; fundatæ Societatis, decimo sexto.

Corporis modus inter procerum et humilem, humili tamen propior erat. Subfuscus oris color, caput præcalvum, lata frons, oculi depressi, obtutus acer et vividus, aduncæ nares, paululum ex vulnere Pampelonensi claudicabat, vix tamen ut adverteres; quæ viri modestia in incessu erat. Tota corporis constitutio ardens, et ignea; frigidam nihilominus credebant multi, et pituitosam, ita moderatus et sui semper compos videbatur: tanta denique in omni actione gravitas, sapientia dignitasque, ut magnum quemdam esse hominem et sanctum vel primo aspectu judicares. Celebritatem quandam et lucem de industria in morte fugit; nullo edito documento, quo eximiam proderet sanctitatem, vel de Societate, tamquam de sua re, quidquam laborare videretur. Ejus auctorem scilicet unicum, a quo imposuerat illi nomen, volebat haberi Jesum.

Exequiæ, et miracula. Audita morte concurrit undique populus, obiisse sanctum clamitans: vixque impetratum est, ut vestibus diripiendis et corpori temperaret. Populi judicium miracula statim edita comprobarunt. Matrona Romana, uxor Andreæ Neruccii, strumosæ a quinque annis filiæ, et a medicis depositæ sanitatem desperaverat. Ad funus properat cum filiola, sanandam plane confidens, si

beato corpori pium libare posset osculum. Sed confertum populi agmen perrumpere nulla vi, nulla obtestatione valuit. Ergo aliquid a nostris rogavit, quod usui fuisset B. Patri, et admovit illud strumosis filiæ faucibus, quæ continuo sanatæ sunt, ne relicto quidem morbi vestigio. Venerat Romam Tibure Bobadilla, æstuans acuta febri. Deponitur in eo cubiculo in quo S. Ignatius diem obierat. Febris, quasi locum sentiret, confestim abiit; et acceptum B. Patris ope beneficium Bobadilla prædicans, addebat in suo unius testimonio vim duorum inesse testium, quippe qui ad præstandam miraculis fidem paulo esset durior. Illud etiam domesticum. P. Lainius illa ipsa die, qua vir Sanctus cœlos petierat, gravi oppressus ægritudine jacebat, expertis frustra suam artem medicis. Deum enixe precatus, interpositis Ignatii meritis convaluit. Sexcenta id genus prodigia narrandi otium non est, quorum plurima in parte quinta et sexta Historiæ nostræ recensentur. Ingentis et numquam obliterandi panegyrici loco est, consentiens orbis Christiani ac summorum, qui tunc florebant, virorum de Ignatii virtutibus ac sanctitate præclara opinio. Sanctus Franciscus Xaverius, ut ceteros de Societate omittam, tanti faciebat carissimum suum in Christo Patrem (sic enim, quas ad eum dabat litteras, inscribere consueverat) ut eas genibus humi positis exararet. In gravissimis periculis

terra marique, divinam opem ejus deprecatione ac meritis implorabat, denique in sacra reliquiarum theca nomen Ignatii, ex ejus epistola desectum, gestabat cum sacris Apostoli Thomæ reliquiis. S. Philippus Nerius eumdem Divino plenum Spiritu, et de Christiana re optime meritum appellabat, ipsiusque vultum cœlesti circumfusum luce visum a se testabatur. Gregorius vero XV omnia videtur complexus uno verbo præconia, cum Ignatium referret anno MDCXXII in Sanctorum Indicem : *Fuit magnus*, inquit, *secundum nomen suum : maximus in salutem electorum Dei : expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel* *. Corpus a templo veteri domus Professorum decimo tertio Calendas Decembres anno MDLXXXVII translatum fuerat in Ædem sacram amplissimam et ornatissimam, nomine Jesu insignitam, et ab Alexandro Cardinali Farnesio conditam, in eaque compositum ad latus majoris aræ cum hac simplici inscriptione : *Ignatio, Societatis Jesu fundatori*. Extructum anno MDCC in eodem templo, et S. Ignatio dedicatum est Sacellum magnificentissimum, et sub ejus ara sacri cineres collocati, addita superne prægrandi statua ex argento, variisque ornamentis, quibus etiam Roma vetus invideat.

Eccli. 46. *v.* 1 *et* 2.

Societatis post obitum S. Ignatii status.

Reliquerat moriens Ignatius domicilia Societatis prope centum, in Provinciis undecim; quarum novem in Europa censebantur, nempe

in Italia, in Sicilia, in Germania superiori et Germania inferiori, in Gallia, in Aragonia, Castella, Bætica, et in Lusitania. Extra Europam duæ : in Brasilia nimirum et India. Æthiopicæ in Africa provinciæ primordium et spes tantum erat.

Variorum Collegiorum ortus, et

B. Pater eodem, quo excessit anno, Senensibus collegium concesserat, instante vehementer Cardinali Burgensi, Francisco Mendoza, nec Senenses cunctati sunt manum illi admovere. Idem Ignatius stationem Amerinis in Umbria concesserat. Eam subinde civium dissidia, et inimicæ litteris ac pietati factiones everterunt. Nondum stabat Maceratense collegium. In hanc tamen urbem Socii ventitabant identidem : eoque cum venisset initio anni Oliverius Manareus, Lauretani rector collegii; ut populum a profanis periculosisque spectaculis abduceret, per geniales ante quadragenarium jejunium dies, edixit quadraginta horarum supplicationem, ad sanctissimum Christi corpus palam propositum. Admirationem habuit rei novitas, parsque maxima civitatis confluxit ad preces et sacramenta. Hoc pietatis inventum, admodum salutare ad coërcendam Bacchanaliorum licentiam experti Patres, et consequentibus annis frequentarunt, et exemplum pulcherrimum præbuere, quod civitates aliæ passim imitatæ sunt. Rem gestam præcipuo quodam ordine ac pietate Velitris in Latio, Annales nostri memorant ad annum MDLXIV *

Maceratæ 40 horarum supplicatio.

* *Part. II. lib. VIII. n.º 42.*

Præerat Catanæ Ferdinandus Vega Joannis Vegæ proregis filius. Faciendum sibi putavit, ut quemadmodum pater Societatem constituerat Messanæ, mater Panormi, frater Syracusis et soror Bibonæ; sic eam ipse quoque Catanæ collocaret. Accessit ad Ferdinandi studium voluntas Caraccioli Antistitis, totiusque civitatis; et Socii felicibus auspiciis læta novæ coloniæ exordia posuerunt. Multum quoque studii et operæ contulerunt, ad excitandum Montis Regii in Gallæcia collegium, Franciscus Mauritius a Lara, Episcopus Auriensis, cujus in diœcesi Mons Regius est; et Azebedius, Montis Regii Comes. Locorum asperitas, inscitia populi, densa vitiorum seges præsenti remedio indigebat. Denique Stephanus Almeida, Carthaginis Episcopus, S. Francisco Borgia, Gandiæ Duce familiariter olim usus, Patres nonnullos ab ipso postulavit : quos et collocavit in urbe sua, et ad lustrandam diœcesim adjutores adhibuit. Magnis incrementis auctum est anno sequenti collegium.

P. Lainius eligitur Vicarius Generalis Societatis.

Triduo, post justa B. Patris persoluta, elapso, Lainius Italiæ Provincialis, et e primis Ignatii sodalibus, qui in vivis erant, (nempe Salmerone, Broëto, Rodericio et Bobadilla) antiquissimus, de Seniorum Patrum in Urbe degentium sententia, Vicarius creatus est; ac statim Congregationem Generalem, indixit, in qua Ignatio successor legeretur, habendam ineunte si fieri posset Novembri mense hujus anni, quoniam spatium semestre

Indicitur Congregatio.

per Constitutiones, ad cogendas Congregationes Generales concessum, graves ob causas contrahendum videbatur : Nondum tantus erat Patrum quatuor vota Professorum numerus, quantus ad habendam Congregationem Generalem a Constitutionibus præscribitur. Quæsitum est, an expediret ad numerum hunc implendum nonnullis gradum Professorum impertiri, præsertim cum hominum virtute ac doctrina præstantium copia suppeteret. Visum est abstinendum, ne periculosum posteris exemplum proderetur, alicujus ad Professorum ordinem provehendi, sine Præpositi Generalis nutu, et quamdiu interregnum esset.

Disceptatum etiam de potestate Vicarii Generalis, utrum illa dumtaxat ad comitia indicenda et gubernanda, an vero ad Societatis universæ administrationem pertineret? Judicatum est, Societatis gubernationem illi uni esse commissam : itaque Polancus et Madridius, quibus partes regendæ Societatis æquas cum Lainio B. Pater demandaverat, sponte illi cesserunt. Dubitationem habere majorem videbatur munus Commissariorum et auctoritas, an extincto Generali Præposito extingueretur? Visum est non extingui, siquidem Rectorum ac Provincialium auctoritatem non antiquabat obitus Præpositi Generalis, a quo suam quoque sumebant Commissarii. Denique extitit non nihil quæstionis de Congregationis habendæ loco; cum aliquibus placeret Lusitania, nonnullis

Avenio, quibusdam Genua, et aliis Lauretum. Litem diremit ipse Pontifex, et Romæ habendam esse renunciavit.

Viri insignes qui S. Ignatii tempore, floruerunt in Societate.

Viris illustribus permultis, dum adhuc esset in viris Ignatius, floruit Societas. Præter novem primos ejus Socios, quorum res gestæ in Italia, Gallia, Concilio Tridentino, et ultimis Asiæ finibus hoc libro sunt explicatæ, clarus extitit sacrarum litterarum et profanarum cognitione, necnon præcipua morum ac sapientiæ integritate Andreas Frusius. Andreas item Oviedus, qui Æthiopiam creatus a Pontifice Patriarcha petiit. Joannes Carrera familiari Angeli custodis sui consuetudine ornatus. Antonius Araozius, qui Societatis in Hispania fundamenta jecit. Antonius Corduba, repudiato Cardinalatu insignis. Antonius Criminalis, primus de Societate Martyr. Antonius Quadrius, qui Societatis Constitutiones a S. Ignatio conditas pertulit in Indiam, et nostris explicuit. Bartholomæus Bustamantius, S. Francisci Borgiæ comes et imitator egregius. Benedictus Palmius populo propter eximiam dicendi facultatem; S. Carolo Borromæo propter virtutem ac prudentiam carus. Cornelius Vishavæus, cujus præcipua vis in exigendis hominum corpore dæmonibus prædicatur. Cosmus Turrianus, S. Fr. Xaverii socius indefessus, æmulator et successor in Japonicis ærumnis. Emmanuel Nobrega, Brasiliæ cultor, et religionis in ea constitutæ præcipuus auctor. Henricus

Henricius a barbaris in India multa perpessus. Franciscus Strada, Italiam, Galliam, Hispaniam, Lusitaniam et Belgium dicendo faciendoque utilissime pervagatus. Franciscus Villanova sui contemptu, obedientia, prudentia nobilitatus. Gaspar Barzæus, Armuziæ Apostolus. Hieronymus Domeneccus, et Hieronymus Natalis, uterque præclaris in Sicilia laboribus notus; hic etiam in regenda Societate Beato P. N. adjutor datus. Jacobus Hozius, a S. Ignatio Sanctorum in cœtu, post obitum conspectus. Jacobus Miro religiosæ disciplinæ non mollis exactor. Joannes Beira immensis periculis et laboribus in India, Comorino, Molucisque perfunctus. Joannes Fernandius, cujus tironis etiamnum virtus a S. Francisco Xaverio celebrata est. Joannes Nunnius ex Africa, ubi rem Christianam valde promovebat, missus in Æthiopiam et ejus Patriarcha consecratus. Joannes Polancus ad constituendam Societatem Beato Patri, cui ab epistolis et secretis erat, operam navare solitus. Ludov. Consalvius a Camara, in Europa et Africa, domi et in aula Lusitana sancte utiliterque versatus. Martinus Olavius e Sorbonico doctore cooptatus in Societatem, Pontificis theologus designatus, doctrina et sanctitate præstans. Melchior Carnerius, et Melchior Nunnius, quorum alter Nicenus Episcopus creatus est, et in Æthiopicam expeditionem lectus : alter in continentem Sinarum primus e Societate penetravit. Michaël Ochoa

insigniter *sanitatum gratia* præditus. Michaël Turrianus, in magna eruditione et procerum favore, humilitatem religiosam sancte retinens. Nunnius Riberius a Saracenis in India veneno sublatus. Paulus Camers S. Franciscum Xaverium secutus in Indiam, et ejus virtutem proxime assecutus. Petrus Canisius, et Paulos Hoffæus, duo clarissima Germaniæ lumina. Petrus Ribadeneira in Societatem a S. P. Ignatio acceptus, et ab illo in virum perfectum formatus. Sylvester Landinus, spiritu prophetiæ, miraculis, virtutibus, et mirabili ad animas in viam salutis dirigendas efficacia successuque illustris.

Erunt fortasse, qui rescire cupiant decem primorum Societatis nostræ Patrum nomina, nationem, ætatem, locum, et annum obitus. Paucis expediam singula :

S. P. N. Ignatius Loyola, Cantaber fuit, Diœcesis Pampelonensis; obiit Romæ, die 31 Julii, anno 1556, ætatis 65.

Petrus Faber, ex oppido Allobrogum Villareto, Gebennensis Diœcesis; obiit Romæ, 1 Augusti anno 1546, ætatis 40.

S. Franciscus Xaverius, Navarræus, Diœc. Pampelonensis; obiit in Sanciano insula 2 Decembris 1552, ætatis 45.

Jacobus Lainez, Hispanus, ex Almazono, Diœcesis Seguntinæ oppido; obiit Romæ, 19 Januarii 1565, ætatis 53.

Alphonsus Salmeron, Toletanus. Obiit Neapoli, 13 Februarii 1585, ætatis anno 69.

Simon Rodericus, Lusitanus, Visensis; obiit Olisippone, 15 Julii anno 1579.

Nicolaus Bobadilla, Hispanus, Palentinus; obiit Laureti, 23 Septemb. 1590, ætatis anno 79.

Claudius Jaius, Allabrox, Gebennensis; obiit Viennæ in Austria, 6 Augusti anno 1552.

Joannes Codurius, Gallus, Ebredunensis; obiit Romæ, 29 Augusti 1541, ætatis 33.

Paschasius Broëtus, Gallus, Ambianensis; obiit Lutetiæ, 14 Septemb. 1562, ætatis 55.

FINIS LIBRI PRIMI.

NOTA. *In hoc anno* 1556 *desinit Pars* 1.ª HISTORIÆ SOCIETATIS JESU; *latine conscripta a* P. NICOLAO ORLANDINO.

INDEX

ET SERIES RERUM

Quæ in Tomo primo continentur.

BX 3706 .J6x t.1 101,369

Jouvancy, Joseph de, 1643-
1719.

Epitome historiae Societatis
Jesu /